12/4

NAZIONALE
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
8
16 — G
6
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SOCIETAS IESV
MARIÆ
DEIPARÆ VIRGINI
SACRA

Siue

De Patrocinio & cultu Deiparæ Virginis ad homines eiuſdem Societatis

LIBER VNVS.

Auctore R. P. IOANNE BOVRGHESIO
Societatis Ieſu Theologo.

DOM. PROF. ROM. IHS

Cath: inscript.



DVACI,
Typis BALTAZARIS BELLERI
Typographi, ſub Circino Aureo.
ANNO 1620.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Bibl: Super:

Digitized by Google

Reuerendo Patri in Chriſto

P. FRANCISCO DE LA CROIX RECTORI DOMVS PROBATIONIS

Societatis IESV Tornaci.

QVÆ duæ res, in hoc conficiendo libello, mihi propoſitæ fuerunt, animi grati aduerſus Sanctiſſimam Dei parentem aliqua ſignificatio; & amor inſtitu-

ti mei religioſi, eædem opinor ambæ, ab ea quam Reuerentia Tua modo tractat, Tyronum noſtrorum inſtitutione non erunt alienæ. Nemo enim fere eſt qui non Beatiſsimæ Virgini Matri acceptam ſuã ferre debeat vocationem, aut eius opem præſentem in hoc egreſſu ab Ægypto non ſenſerit; à qua & demerſo Pharaone victoriam, conſtantiã, perſeuerantiamq; ſperare debet, ſi quam volens amplexus eſt diſciplinam, gratus amare pergat, & obſeruare. Non egent illi quidem collectaneis

meis

meis, præclari Iuuenes, quos Reuerentiæ Tuæ viua vox, quæ longè plus habet energiæ quam hæc muta ſcriptio, ad omnem informat virtutem; quibus ipſe vita præis; & quod de S. Malachia Bernardus, id de te dicam ſine aſſentatione, Idem ipſe Rector es, & regula fratrum: in te tuiſque moribus legunt, quomodo conuersētur, & ante illos præis in iuſtitia & ſanctitate coram Deo. Neque indigent illi, quibus ipſi patent fontes, qui Societatis hiſtoriam, Primorumque Patrū vitas per-

quam accurate ſcriptas legẽdo conterunt. Forte tamẽ res eaſdem, in vnum faſcem collectas, ac ſub aſpectum pleniore ſtylo propoſitas, non iniucunde, nec inutiliter repetent: Me quidem in ſcribendo laboris haud pœnitet, neque quemquam opinor in legendo pœnitebit, cui tam præclara maiorum exempla & magno ſolatio, & ad perfectionis curſũ incitamento fuerint. Et ſane quo magis in dies effloreſcit, Dei beneficio, Societas, tum optimis legibus ac decretis in vſum inductis, tum præſtanti-

ſtantibus eximia virtute ac ſanctitate viris, quibus, velut cælum ſtellis, illuſtratur; eo nos acrioribus ad omne perfectionis ſtudium aculeis exſtimulari par eſt. Qui fuit Magni Gregorij ſenſus, dum diceret, Paratior ſum mori quam B. Petri Eccleſiam meis diebus degenerare, idem eſſe debet omniũ noſtrum animus in Societatem, tametſi nullam eius adminiſtrandæ partẽ attingamus. Ac vereor ne hæc ipſa à me hoc libello commemorata nimium multa, & inuidioſa cenſeantur; quaſi mi- L. 7. ep.

 hi no-

hi noſtrorũ hominũ laudes celebrare propoſitũ fuerit. Verũ quales quales eæ ſint laudes, in Dei domini noſtri laudẽ ac Beatæ virginis gloriã referẽdæ sũt; ex iјs enim fontibus manarũt. Nec alius mihi ſcopus ac finis præſtitutus fuit, quam vt agnito Religioſæ vocationis beneficio, ad sãctiſsimam Dei Matrem, cui nos illud debere exiſtimo, impenſius amandã, atq; õni cultu proſequendã excitemur. Huius igitur iuſtiſsimi, vt quidẽ arbitror, deſiderij, tum etiam propenſiſsimæ in Tuam Reuerẽn-

rẽtiam, ac domum Probationis Tornacenſem voluntatis tenue hoc exſtet monumentũ. Vos precibus ad Deũ fuſis, & ſacrificiis id agite viciſsim, vt digne ambulemus vocatione qua vocati ſumus, & per bona opera certam illam vocationẽ & electionem faciamus. Kalen. Februa. an. 1620.

Reuerentiæ tuæ

Seruus in Chriſto

IOANNES BOVRGHESIVS.

Digitized by Google

ELENCHVS CAPITVM.

1 SOcietatem Ieſu Sodalitatem quoque Deiparæ Virginis cenſendam.

2 De cauſis ob quas Dei Mater Societatē Ieſu in ſuam fidem ac patrociniū receperit,

3 De B. Ignatio Societatis Ieſu Parente, eximio ſanctiſſimæ Matris cliente.

4 De prima Societatis Ieſu ſub auſpiciis Dei Matris origine & inſtitutione,

5 Quam neceſſario Eccleſiæ tempore ſit orta & excitata Societas Ieſu.

6 De B. Xauerio Indiarū Apoſtolo Deiparæ ſtudioſiſſimo.

De

7 De Petro Fabro primo Sociorum B. Ignatij.

8 De Iacobo Laynio, Claudio Iayo, Alphōſo Salmerone.

9 Dono datos Societati Ieſu à B. Matre Beatos iuuenes Staniſlaum Koska, & Aloyſium Gonſaga.

10 De Alphōſi Roderiquez in Deiparam pietatis affectu.

11 De exemplis vitę Religioſæ datis à ſanctiſſima Virgine Societati Ieſu.

12 De libello exercitiorum ſpiritualium à B. Ignatio, duce ac magiſtra Dei Matre cōpoſito.

13 De conſtitutionibus & Regulis Societatis Ieſu non ſine Virginis ope conſcriptis.

14 De Congregationibus

& Sodalitatibus ſanctiſſimæ Matris in Collegiis & domibus Societatis Ieſu.

15 De Collegio Lauretano à primis annis natæ Societatis ad plurimorũ ſalutẽ inſtituto.

16 De Societatis Inſtituto docet Beatiſſima Dei Mater Ioannem Nunnium, qui deinde fuit Æthiopiæ Patriarcha, & ad illud amplectendum excitat.

17 De Cõſaluo Silueria abs Rege Monomotapæ Martyrium perpeſſo.

18 De Ioſepho Ancieta Braſiliæ Prouinciale miræ ſanctitatis, huius ſæculi Thaumaturgo.

19 De Patribus Belgis Petro Caniſio, Cornelio Viſcha-

uæo, Franciſco Coſtero.

20 De Thoma Sanchez, & Franciſco Suarez præſtantibus doctrina & sãctitate theologis.

21 Quid hactenus Societas præſtiterit ad aſſerendam Diuæ Matris immaculatam Cõceptionem.

22 De Iacobo Ledeſma, Petro de Anaſco, Sebaſtiano Barradas, Bernardino Realino, Georgio Colibrant, Iacobo Rhem.

23 De P. Frãciſci Borgiæ inuentis ad alendũ. augendũq; Virginis Deiparentis cultum.

24 Adhortatio P. Claudij Aquauiuæ ad eundem Virginis cultum, & quam ille præſentem Clementiſſimæ Ma-

tris opem ſit expertus.

25 De miraculis quibuſdã à Dei Matre precibus noſtrorum patratis.

26 De ſtatua Beatæ Virginis Foyenſis ſeu Fidei, & lapillis miraculo celebribus in eo repertis agro.

27 Documenta quędã Religioſis Societatis Ieſu pernecesſaria, à ſanctiſſima Dei Matre, vt credi poteſt, procurata.

28 De intercesſione ſanctiſſimæ Dei Matris, & Orationis dono per eam impetrando.

29 De tribus virtutibus homini Societatis pernecesſariis, ope Dei Matris obtinendis, Humilitate, Caſtitate, & ardenti Charitate.

30 De clementiſſimæ Matris ope in proximis iuuãdis, & Societatis miniſterijs.

31 De Deiparæ Virginis ope in noſtrorum hominum morte piè ac ſanctè obeunda.

32 Cõcluſio de optimis Societatis Parentibus Ieſu & Maria, deque viſo P. Martini Guttierez.

APPROBATIO.

HIc liber R. P. IOANNIS BOVRGHESII ad promouendum Beatæ Virginis cultum perutilis typis mãdari poteſt. Duaci 30. Octobris. 1620.

Ioannes Præpoſitus è Societate Ieſu S. Theologiæ Doctor, authoritate Reuerendiſſimi D. Epiſcopi Atrebatenſis Cenſor.

F A-

Digitized by Google

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo infra ſcriptus Prouinciȩ Gallo-belgicæ Societatis Ieſu Prȩpoſitus Prouincialis, iuxta priuilegium à Sereniſſimis Principibus noſtris ALBERTO, & ISABELLA eidem Societati noſtræ conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant; facultatem do BALTAZARI BELLERO Typographo Duacenſi, vt librum cui titulus eſt *Societas Ieſu Mariæ Deiparæ Virgini ſacra*, ſiue de Patrocinio & cultu Deiparæ Virginis ad homines Societatis Ieſu, Auctore R. P. IOANNE BOVRGHESIO eiuſdem Societatis Theologo, ad ſex annos proximos imprimere & libere diſtrahere poſſit. In cuius rei fidem has manu propria ſubſcriptas, officij noſtri ſigillo muniuimus.
Montibus 13 Iulij 1620.

FLORENTIVS DE MONTMORENCY.

De

DE PATROCINIO ET CVLTV SANCTISSIMÆ Dei Matris

Ad homines Societatis Ieſu

LIBER VNVS.

CAPVT PRIMVM.

Societatem Ieſu Sanctiſſimæ quoque Dei Matris Sodalitatem cenſendam.

SOCIETATIS IESV nomen, quo nullum ordini noſtro, vel ad dignitatem illuſtrius, vel ad ſpiritalem fructum vberius, vel ad animi ſolatium gaudiumque plenius offerri potuit, à B. Patre Ignatio diuino inſtinctu ſuggeſtũ atque propoſitum, à SS. Põtificibus, Chriſti Vicarijs, inditum, à Sacra Tridentina Synodo cum Inſtituti laude confirmatum, in maximi plane beneficij loco eſt reponendum. Id tametſi à nonnullis in inuidiam

Bernar. ſermo. 15. in Canti. de nom. Ieſu.

uidiam vocatum clamque & palã oppugnatum, tamen vſu ſtabilitũ, atque toto iam orbe receptum, omnium gentium linguis ac ſermonibus celebratur. Neque vero diffitemur id nomen Eccleſiæ cõprimis vniuerſæ, tum ceteris quoque Religioſis ordinibus apprime congruere; ſed diuinæ quandam beneficentiæ prærogatiuam agnoſcimus, quod in eius adhuc vacui nominis, quod nullus ordo cætuſque ſibi vindicarat, à Sede Apoſtolica poſſeſſionem miſſi venerimus. Ad Eccleſiæ fideles pertinet illud
1.Cor. 1. Apoſtoli Pauli monitum; *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in Societatẽ filij eius Ieſu Chriſti Domini noſtri;* &
1 Ioan. 1 illud B. Ioannis Euangeliſtæ, *Vt & vos Societatem habeatis nobiſcum, & Societas noſtra ſit cum Patre, & cum filio eius Ieſu Chriſto;* Quæ tamen ſi ad hanc omnium, quę ſequuntur Ieſum, minimam Societatem, aliaſ-
ve

ve piorum hominum Congregationes traduxero, nemo mihi vitio vertat, non ſecus ac ſi ea quæ toti alicui conueniũt generi ſingulis ei ſubiectis ſpeciebus impertiero; sũt enim eæ Sodalitates velut Eccleſię quædam minores, in illius vniuerſæ Matris gremio & ſinu filiæ, in homogeneo toto partes implicitę, eodem informatæ diuino ſpiritu, eiſdem communitæ ſacramentis, exornatæ prærogatiuis, eodem Chriſto Capite, Duce, Spõſo gloriantes, immenſis eius meritorum opibus auctæ ac locupletatæ. Quare quæ tribuuntur vni Sodalitati atque ordini laudes, à ceteris eæ minimè abiudicãtur, ſed tacitè potius eiſdem conuenire confirmantur, omniſque laus Religioſorum ordinum, omne decus & ornamẽtum ex eo potiſſimum capite deriuatur, quod in Eccleſia contineãtur, ab eaque probentur, & eius bonis

bonis vberiore quadam copia & commoditate perfruantur. Nemo igitur me quoque iure reprehendat, ſi ſanctiſſimæ Dei Matris patrocinium ac tutelam, qua, cum vniuerſam Eccleſiam, tum cæteros quoque pios ac religioſos ordines affectu materno complectitur, ad hanc minimam autore B. Ignatio coalitam Ieſu Societatem, ſine cuiuſquam excluſione traduxero; ſi noſtros homines ad ſupremæ huius Dei parentis cultum & obſequium domeſticis exemplis incitauero; ad animique grati ſignificationem, commemoratis eius eximiis in ordinẽ noſtrum beneficiis cohortatus fuero; cæteris etſi minime recenſitis, non tamen ſecluſis hominũ generibus atque ordinibus, quib⁹ vt antiquitate, ita forſan hac in parte cõcedit noſtra Societas; ſed id iam nõ agitur vt omniũ laudes perſequar, & huic libel-
lo-

Digitized by Google

lo certi fines circũſcribendi fuerũt.

Ac primũ ex ipſa Societatis Ieſu nuncupatione, quæ re communis, vſu propria eſt, Sodalitatẽ eam ſacratiſſimæ Dei Matris cenſendam eſſe haud obſcurè confici poteſt. Nam, quam parũ aut nihil inter ſe diſtant Societas atque Sodalitas, tã inter ſe cohærent, neq; ſeiungi poſſunt IESVS & MARIA: vt ſunt illa ſynonyma, ita hęc cognata, connexaque filij ac matris auguſta nomina. Quare Societas Ieſu, Religioſis votis aſtricta, Sodalitas Virginis Mariæ cenſeri poteſt, ac iure debet. Non quaſi (vt ineptè quidã, ac frigidè) ſocios Ieſu, aut Sodales Marię ex æquo nos, pareſque faciamus; ſed quod à nobis inter nos initã Societatẽ, coortamq; Sodalitatẽ profiteamur, quæ Ducẽ Ieſum in accurata vitæ ratione ſequatur, ac Deiparæ cultum impenſiore cura promouere nitatur. Aliam ſibi quidem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

dem Rex terrenus aulam, familiãq; vendicat, aliam Regina Mater; neque id mirum, ſi cum ſæpe domicilijs ſecernantur, & quæ illis externa corpore magis quã animo pręſtantur obſequia, communiter vtrique nequeant impendi, alios ſibi Rex Palatinos adſciſcat, honorarios, & ceteros inferioris gradus munerisque miniſtros, alij ſuã Reginæ matri locent operam, famulatumque deferant aſſeclæ. Neq; raro Rex & Regina Mater animis diſſidẽt, vt in domeſticos quoque redundet ea diſſenſio. At longe ſecus eſt in ſpiritali cæleſtique Regno Saluatoris, quod ita eſt illi cum Regina Matre commune, vt non ſolum in eodem ſemper Empyreo palatio, ſed intimo penitiore ſacrario Deitatis vna ſimul ſuauiſſimè, ac cõcordiſſimè versẽtur; vnaq; ſit vtriuſque voluntas, vna ſententia. Qui ſe probet filio, probet & Ma-
tri

tri; quem Mater amet, & Filius impenſe diliget, nec alia potior diligendi cauſa. Si Saluatori filio deferimus honorem, ad ſe eum pertinere iure optimo cenſet Regina Mater; ſi Matrem veneremur, id officij gratiſſimum habet filius, vt non alia re magis nos amet ac probet. Vna igitur eſt Filij ac Matris Aula, vna familia, Societas Ieſu atque Sodalitas Mariæ. Qui Filio famulatur, & Matri eſt in obſequiis; Qui Matrem pio cultu proſequitur, & filium, quo precipue gaudet obſequio, demeretur; quos Filius in fidem ac patrociniũ ſuſcepit, hos & Diua Mater ſuæ curæ ac tutelæ concreditos ducit.

Iam quamcumque Societatis Ieſu notionem ſequamur, ad eam quoque velut Principem accerſendam Dei Matrem comperiemus. Si Societatem interpretemur communionem meritorum,

quæ

quæ cum Chriſto capite toti eius intercedit corpori myſtico, ſi participationem gratiæ quæ ab eo capite in omnia membra illi fide, ſpe, charitate connexa deriuatur, certe in ea Societate princeps cenſenda eſt Diua Mater, quę, veluti ſpiritale collum, membra cum capite colligat; aut velut aquæductus gratiam ex eo fonte, cui proxima eſt pleno alueo, in ceteros omnes deriuat, atque deducit. Hominum Mediatrix, & ſecũdum filium Reparatrix, qua nemo amplius in cõmunes Eccleſię theſauros de ſuo meritorum ac ſatisfactionum ærario contulit; cui plane in ea gratiæ, charitatis, ac ſpiritus ſocietate primus à Filio locus debeatur. Si vero Societatem ſpiritalis animarum quæſtus cauſa comparatam eſſe velimus, in quam neſcio quid opellæ nos, & induſtriæ (quanquam ea quoque potiſſimũ

Deo

Deo eſt adſcribenda) conferamus, ipſe verò Chriſtus totam ſummam capitalem infinitæ & inexhauſtę gratiæ ſuæ contribuat, in eandem iure quoque optimo venit ſanctiſſima Mater, quæ ſecundum Chriſtum filium pręcipua eſt humanę ſalutis adminiſtra, quę incenſiſſimo ardet animarum zelo, & accõmodata gratiæ præſidia ſiue peccatoribus ad reſipiſcendum, ſiue iuſtis ad augendum meritorum cumulum, perſeuerandumque à Deo filio procurat; quæ fidei ſemper in Eccleſia propagandæ, hęreſeos extirpandæ, charitatis augẽdæ, ac virtutis omnis promouẽdæ Princeps habita eſt & Magiſtra. Quod ſi vt exiſtimo de B. Ignatij ſententia, Societas dicta eſt vocabulo militari, cohors præſidiaria, cuius Dux idem qui totius exercitus Imperator, exiſtat Ieſus; quæ ſub eo collecta duce auguſtiſſimum Ieſu ſignum

uum ac vexillum, crucem geſtando conſectetur? Quis eius cohortis incolumitati ſalutique maximè ſtudeat, niſi Ducis ipſius Mater? quis ei ſecundos euentus victoriamque votis ardentibus exoptet, omnique via ac ratione procuret, niſi cuius intereſt maximè Imperatoris parens, ipſa ſecundum illum proxima Dux & Imperatrix? Videri ſane poteſt B. Ignatius iam inde à primo illo Manreſano receſſu propoſita duplici cõtemplatione; vna de Regno Ieſu Chriſti ex ſimilitudine Regis terreni ſubditos ſuos euocãtis ad bellum, altera de duobus vexillis hinc Ieſu Chriſti optimi noſtri Imperatoris, inde Luciferi hoſtis hominum capitaliſſimi, huic abs ſe condendæ Societati præluſiſſe, ac tacitus inſinuaſſe, tum quo nomine foret appellanda, ſub quo mereret Imperatore, cuius ſigna ac vexilla ſequeretur; tum maximè

quâ

Digitized by Google

quâ ad eam Societatem aditus nobis pateret. Nempe per virginis Matris opem & interceſſionem. Præſcribit enim in eo quod priorem contemplationem claudit colloquio, non modo promptos ad tolerantiam laborum, ſed ad præclara quæq; munera deuotos in cõſpectu glorioſæ virginis Matris Chriſto Regi nos offeramus; poſterioris autẽ primũ ait ad Beatiſſimã Virginẽ formandũ colloquiũ, vt qua valet apud filiũ gratia, & authoritate, ſub eius vexillũ nos recipi curet. Qua erat animi demiſſione cauit ſedulo B. Pater, ne à ſeipſo velut authore, quẽadmodũ alię nonnullæ familiæ Societas appellationẽ traheret, cũ in ea cõdẽda nihil ſibi, Deo omnia tribueret: potuerat tamẽ, aliarũ itẽ exẽplo, aut ſanctiſſimæ Trinitatis, cui longe erat addictiſſimus, aut non plane diuersũ Chriſti Domini, aut Saluatoris no-

men affigere, aut ipſius Beatiſſimæ virginis Mariæ, quo titulo & quædam religioſæ gloriantur Sodalitates, ſed diuino impulſu, & de ipſius opinor ſanctiſſimæ Matris cõſilio, ceteris auguſtum Ieſu vocabulum duxit anteponendum, quod eius eſt proprium perſonę in humana diuinaque natura ſubſiſtẽtis, quod hominum procuratæ ſalutis munus exprimit, quod mater omnium mortalium prima diuino iuſſu filio mox indidit à Circumciſione, quo per omnem vitam illum appellauit ſæpiſſime, quod in Crucis titulo perfecta ſalute ac redemptione cõſecratum vidit; quod eſt Euangelij totius Epitome, Incarnationis filij Dei, Vitæ, Doctrinæ, Paſſioniſque ac Mortis compendium, in tenebris lumen, in mærore ſolatiũ, in gaudio temperamentum, in omni fortuna munimentum, vitæque ad abſolutam virtutem inſtituendę

docu-

locumẽtum. Cui quidem Ieſu dulciſſimo nomini, ſolet adiungi ac cohærere ſacratiſſimum Mariæ nomen. Semper it filio iuncta comes optima Mater; ſuntque ea connexa piorum impreſſa præcordijs ſalutifera vocabula Ieſus & Maria, aduerſus omnes hoſtium incurſus certiſſima præſidia, in ipſoque diſcrimine mortis maximè vitalia. Atque vt fere nemo piam de Ieſu filio cogitationem ſuſcipere poteſt, quin & de Maria Matre recogitet, ita nec Ieſu Societas in mentem venit, quin & animo Marię Sodalitas obuerſetur. Quemadmodum primi parentis Adami vix vnquam meminimus, quin & Euę matris ingeratur memoria, per quem vtrũque parentem natura eſt propagata, ad eum modum in reparatione naturæ, gratiæque deriuatione, ſaluatori filio Mater, vt eius gratiæ conciliatrix, adiungitur; Debet in

ampla domo curæ ac prouidentiæ Patris, accedere quoque materna pietas & indulgentia. Quod ſi pias quæ certis quidē regulis aut nullis religioſę vitæ vinculis votiſque aſtringuntur Sodalitates, Virginis Matris, Chriſtus Dominus, pro ea qua eſt aduerſus Matrem obſeruātia, ſummis beneficentiæ proſequitur argumentis; quis ambigat quin & ſocietatē filij ſui Ieſu, pia mater omni materna benignitate cōplectatur. Ad quod quidē ſtudium vel ſolo Ieſu ſacro vocabulo cōcitetur

Expoſit. 2. in pſal. 61. Moris erat apud veteres, de quo meminit S. Auguſtinus, cuius etiānum aliquod extat veſtigium, præ foribus ædium nomen ac titulum præpotentis alicuius præfigere, vt prætereuntes intellecto, quis earum aut protector aut poſſeſſor exiſteret, ab inuaſione atque omni tēperarent iniuria. Præ foribus ædiū noſtrarum viſitur auguſtiſſimū Ie-

ſu

ſu nomẽ,ipſiſq; intimis in penetralibus,in cunctis parietibus,vaſis,libris, omnique prope ſuppellectili ſculptũ hoc diuinum nomen adoratur: neque raro Matris adhæret Mariæ, vt hoc vtroque titulo tuti ſecuriq; degamus aduerſus hoſtiũ noſtrorum vim, ac ſubdolas artes; vt ab hoc vtroq; fonte lucem in tenebris,in labore quietem,in mærore lætitiam, in aduerſitate conſtãtiam, deniq; ſalutẽ in omni diſcrimine certiſſimam hauriamus. An non liceat nobis quod Epicuri diſcipulis,qui nõ in tabulis modo,verum & in poculis,& in annulis,magiſtri geſtabant effigiẽ, vt ſe iucũda præceptorũ eius oblectarẽt recordatione. Nos de Societate Ieſu, de eius cohorte ac familia nullo quidẽ merito noſtro, ſed ſummo eius beneficio,poterit aliquando ſacratiſsimi Ieſu nominis,& Mariæ Matris obliuio capere? non ea fe-

Tull. de Finibus 1.

remus in oculis atque præcordijs quæ paſſim in ædibus noſtris expreſſa ſe efferunt ſacra vocabula? quorum recordatione quaſi vitali quadam reſpiratione diuinum attrahamus ſpiritum, tum velut acerrimo ſtudio ad omne virtutis perfectioniſque ſtudium incitemur, denique fauoris vmbra tegamur & aſpirãte leuiter aura recreemur.

CAPVT II.

De cauſis ob quas Sacratiſsima Virgo Deipara Societatem Ieſu in ſuam fidem ac patrocinium receperit.

NON alia ſane iuſtior afferri poteſt cauſa, quam quod Societas ſit Ieſu, quem filium Deum, Mater omni charitate, & ea quam naturæ ſumma propinquitas ingenerauit, & ea quam gratiæ vis infuſa cumulauit, ac perfecit, ardentiſſime diligit; quaque res omnes ad eum

um pertinentes non poteſt non
ueri, ac cõplecti. Vt nobis ad Dei-
param colendam & obſeruandam
acrior ſtimulus adhiberi nequit,
quã quod Ieſu cuius in Societatem
cooptati ſumus amãtiſſima digniſ-
ſimaque Mater exiſtat, ita Deipa-
ræ grauior nullus, digniorque titu-
lus allegari poteſt, ob quem nos il-
la in ſuam fidem clientelamque re-
cipiat, quod de filij eius Ieſu Socie-
tate cenſemur & ſumus. Accedit,
quæ ſit altera præcipuaque cauſa,
quod Societas hæc non Ieſu tantũ
inſignita eſt nomine, ſed (nemo
velim id dictum arrogantius inter-
pretetur) Ieſu quoque informata
ſpiritu, ad diuiniſſimũ illud opus a-
nimarum ſalutis à quo dictum eſt
Ieſu nomen, ob quod de cælo ve-
nit in terras, omni cõtentione pro-
mouendum, inſtituta.

Quis vero ſit Spiritus Ieſu, etſi
minime eſt obſcurum, nempe ar-

ardentis in Deum proximumque charitatis, æſtuãtis diuinæ amplificandæ gloriæ animarumque ſalutis procurãdæ zeli; cum ſumma ſemper animi moderatione, manſuetudine, atque humilitate cõiuncti; ſi quis tamen plenius reſcire cupit ex ipſo Chriſto diſcat interprete, cum
Lu. 4. 18 illum apud Lucam de ſe vatis Iſaiæ
Iſa. 61. locum ediſſerit. Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſũ, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Hic ſpiritus, hic genius, hoc inſtitutum eſt Societatis Ieſu, conquirere animarum ſalutem ac lucra; Redemptionis Chriſti Domini fructum in omnes deriuare velle mortales, Euangelij lucem exteris ac diſſitiſſimis inferre nationibus, eãdẽ aduer-

ſus

us obfuſas hæreticorum tenebras
ucri ac propalare, quouis morbo
c lãguore ęgris animis ſalutarē ad-
erre medicinã, quibuſuis ac quo-
uo modo proximis adiuuãdis in
ılute conſequenda operam omnē
npendere, nulli nec labori parce-
e, nec indulgere quieti, nec cõmo-
o ſtudere, nec dãno cõmmoueri,
uoad ſibi præſtitutũ maioris Dei
loriæ ſcopũ, in ſua proximiq; ſalu-
:, conſequatur. Hæc præſtãda So-
etati ſi nõ inanē magni nominis
nbrã ſuſtinere ſed implere men-
ırã, & vti dicitur, ita eſſe reipſa ve.
: Societas Ieſu. Sub his auguſtiſſi-
is Ieſu ſignis perpetuũ Mundo,
arni, Dæmoni, nullis vnquã pa-
s inducijs, bellũ indicendũ; ſēper
acie ſtãdũ cominus, eminus om-
telorũ genere dimicãdũ; Auſpice
Imperatore Ieſu, pugnãdũ, vin-
ndum, moriendum; in cruce mo-
ndum, mors erit ipſa victoria.

Digitized by Google

Hanc igitur filij ſui pręſidiariam cohortem ita pręclare animatam non poteſt non ſua materna cura ac prouidentia complecti clementiſſima Mater, pro eo quo ardet ipſa diuinę glorię animarumque ſalutis prouehendę zelo, Cum filij vexillum intuetur in vltimas vſque delatum Orientis & Occidentis oras, non poteſt non & ſub eo preliantes fortiſſime milites benigniſſimis oculis intueri; ſed plane dignos eis tãto Duce ſpiritus animoſque ſufficit, ac ne quando victi ſuccumbant, pedemue referant; verũ opima ſemper Imperatori filio animarum ſpolia trophæaq; reportent, elaborat. Valet etiam ſuperiori affinis illa cauſa quod non admodũ nuper hæc orta, ac collecta Societas eſt, difficillimis ac maxime neceſſarijs Eccleſiæ temporibus, ſiue cum auſpicatis Luſitanorum & Caſtellanorum nauigationibus

ıibus America pars altera mundi
.etecta eſt, nouuſque patefactus
ırbis tum ad orientem tum ad oc-
identem ſolem, ad excipiendam
:uangelij ſementem ampliſſimus,
ıue cum male ſanus è clauſtro Lu-
herus hæreſiarcha profugit, vni-
erſumque Septentrionem peſti-
:ris infecit erroribus, cum peſſum
'et Chriſtiana religio pietaſque,
quando alias tum maxime abun-
ante iniquitate & refrigeſcente
haritate. Ergo tam oportune, quæ
ıbſidium aliquod Eccleſiæ pro
ıa virili conferret, excitata Socie-
.s, à Deipara in partem curarum
: tutelæ recipienda fuit; quod ſi
nera adhuc eſt & adoleſcens, nō-
ım annis ac vetuſtate confirma-
, eo maiore benigniſſimæ Matris
ouidentiâ eſt confouenda. Quē-
modum quæ plures liberos ha-
t Mater, eorum præcipue curam
rit qui pluribus egent ad vitam
adiu-

adiumentis, quique minus ipſi per ætatem prouidere ſibi poſſunt; vt arbuſculam agricola recens ſatam crebrius irrigat, diligẽtius obſepit, ac tuetur quam quæ bene firmas altaſque radices egerit. Patriarcha
Gen. 37. 3. Iacob filiũ ſuum Ioſeph pręceteris impẽſius amabat, eo quod in ſenectute genuiſſet eũ, fecitq; ei tunicam polymitã diuerſicoloribus contextam licijs; Ita quæ mater eſt omnium familiarum religioſarũ, huius quoque nouiſſimæ, velut in extrema mundi ſenectute genitæ, Mater erit, & affectu propẽſior, & cura ſolicitior, & liberalitate profuſior; nam de veſte polymita variæ omnis eruditionis ac doctrinę excellentiſque virtutis ornamentis iure ſibi gratulari Societas, ac gaudere, Deiparęque gratias agere poteſt, ac debet. Quod ſi quemadmodum Ioſeph oderãt fratres ſui, ita hæc Societas, nulla ſua culpa, in

multo-

multorũ incurrat offẽſionẽ, & inuidiam, ſi multorum iniurijs, calũnijs, contumelijs appetatur, ſi verſetur in ore maleuolorum, neq; defuerint vnquã, neque modo deſint hoſtes vehemẽter infẽſi, ſiue quos hæreſis & aliena religio, ſiue quos ipſa vitæ ac morũ diſſimilitudo, ſiue quos minimè malos vulgi ſermo & præiudicatus aliquis error effecit; erit hæc quoq; cauſa iuſtiſſima, ob quã clementiſſima mater destitutam Societatẽ in ſuam fidẽ ac patrociniũ propenſiſſime recipiat. Quô fuerit in ea malignus hoſtis oppugnãda vehementior, eo erit Beata Mater in ea tutanda atq; ornãda ſolicitior; ſẽper erũt infeſta virtuti vitia; vt calori frigoriq; pax eſſe nõ poteſt, ſic neq; fœdus vllũ probitati cũ impietate, nũquã Satã, quo furore malitiæ ardet, aduerſus Deũ ducẽq; noſtrũ Ieſũ ſuas contra copias inſtruere, dolos & artes

vimque omnem adhibere prætermittet; nunquam deerunt homines perditi, ſatellites eius improbitatis ac nequitiæ per quos agitentur & exerceantur boni; ſed aderit quoque caſtris filij ſui Regina cæli præſidio, neque vexillum Crucis & auguſtiſſimum Ieſu ſignum, cui contradicitur, vndique licet impetatur, deijci; quique ſub eo militãt, niſi à ſeipſis vltro turpiſſima facta deditione, ſuperari patietur. Illa quoque Ducis noſtri plena ſolatij verba corroborare nos debent, *Si mundus vos odit ſcitote quia me priorem vobis odio habuit: ſi de mundo fuiſſetis; mundus quod ſuum erat diligeret, quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*

Ioan. 15. 17.

Mihi quidem homines noſtri aſſidua rerum diuinarum commentatione, & ea quæ ſtatis quaque die præfigitur horis precatione mẽtis,

tis, Deiparæ virgini familiares, domeſtici ac prope contubernales effici videntur; harum meditationum etenim adhibentur fere ab ijs argumenta, quæ matri cum filio communia ſunt, Incarnati verbi myſteria, diuina eius Conceptio, Natiuitas, Vita, Doctrina, Paſſio, Reſurrectio, quorum myſteriorũ commemoratione non poteſt non commoueri Mater amantiſſima; tum in eiſdem cum ea locis veluti noſtri meditando commorantur, & intimæ cuiuſdam conſuetudinis vſum contrahere poſſunt. Quid! quod frequentatâ crebrius, atque omni die à ſacerdotibus Euchariſtiæ diuinâ menſâ Deiparæ, filioq; Saluatori propinqui, cõſanguinei, ac concorporei efficimur, vt illa nos negligere, obſecranteſque à ſua cura & tutela repudiare non poſſit.

Ad extremum quoque non parum

rum ponderis habere debet cauſa quod à Saluatore Filio, Matri, Societas ſua ſit impenſius commēdata; cuius illa commendationis gratiam & authoritatem contemnere non poteſt; quin vero omnem filij voluntatis nutum pro certo habēs imperio, nihil illi ducit anteponendum.

Cum igitur de cruce pendens Saluator, animam proxime expiraturus, aſtanti ad crucis pedem afflictiſſimæ Matri Ioannem diſcipulū, & in eo ſectatores omnes ſuos cōmendauit, Mulier ecce Filius tuus, Ioanniq; viciſſim Matrem ſuā teſtamēto legauit, ecce Mater tua, tum, quam ab ipſo primitus cōceptu ſuo minimam hanc Ieſu Societatem habebat in mentis proſpectu, ſigillatim denotaſſe, ac Matri commendaſſe licet pie, vereque meditari; Societatem inquam vniuerſam, & quotquot in eam diuino

uino eius beneficio eramus aliquã-do venturi, ſpeciatim, ac diſtinctè deſignauit; vt æquiſsimo iure liceat nobis agere cum Dei Matre, has filij ſui ſupremas voces, tabulaſq; teſtamenti ratas ac firmas eſſe velit, nos habeat clientum ac filiorum loco, illam nos patronam ac Matrem amemus, modiſque omnibus obſeruemus. Illud quoque meditari licet, vnumquemque noſtrum, qui peculiari religioſæ vocationis huius dono eſt affectus, honorarium illum Ioannis titulum accommodare ſibi poſſe, Diſcipulus quem diligebat Ieſus; tametſi ceteros ordines pari diuinæ benignitatis fructu non priuamus.

Quod ſi quiſpiam contendat hanc nimium communem, ac generalem eſſe commendationem, alteram profero ſpecialem. Nam cum præclarum illud in itinere

Roma-

Digitized by Google

Romano viſum B. Patri eſt obiectum, quo Deus Pater illum ac ſocios Chriſto filio Crucem baiulanti commēdabat, ipſeque filius Saluator, in ſuam omnes benigne tutelam reciperet, ac ſponderet, ego vobis Romæ propitius ero; tum, vt obſeruat Author hiſtoriæ, B. Pater illud maximè, quod diu in optatis habebat, animo verſabat, quemadmodum poſſet quaſi in familiam Chriſti Ieſu famulus cooptari, aſſidue ſanctiſsimam rogans matrē, vt apud filium ſibi locum inueniret, id ipſum etiam ab æterno Patre flagitans, vt cum filio collocaret. Quemadmodum igitur exauditus à Deo Patre, B Ignatius, ab eo ſe commendari vidit Saluatori filio; ita coniectura eſt à Beatiſsima quoque Matre, à qua tum eo in itinere, tum aliàs frequentia accepit cælestia lumina, quæ ſæpe ſeſe illi viſendam præbuit, minime

paſ-

Digitized by Google

paſſum eſſe repulſam; ſed ab eadem filium exoratum, vt in ſuam illum familiam, ac Societatem reciperet; quin vero ſuæ præficeret cohorti ducem, quæ ſacro Ieſu nomine ac vexillo deſignaretur. Verũ quod hic agitur, & æquius fuiſſe videtur: debuerat magis Societas Ieſu, ab ipſo Ieſu, cuius ea eſt, à quo nomen habet, cui militat Imperatori, tum æterno Patri, tum virgini Matri commendari, eorumque curæ ac patrocinio committi. Et quidem illam Saluatoris precem ad ęternum patrem ſupremo mortalis vitæ die, mox ab Euchariſtica cœna, Ioannis 17. cap. comprehenſam, ad Societatem Ieſu referre nõ incommodum. Neque ſemel minor inſtituta iam Societate eã, cæleſti Patri & ſanctiſſimæ Mariæ a Saluatore filio commẽdatam. cum ea ſpecies diuinæ reuelationis obiecta eſt B. Ignatio; tum
de

de Societate primum ineunda ſub Ieſu vexillo, & auſpicijs agebatur. Quod De Deo Patre Saluator ait, de diua quoque Matre, poteſt intelligi; *Et non dico vobis quia ego rogabo patrem de vobis; ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia ego à Deo exiui.* Cetera item, quæ tum diſcipulis Saluator exceſſurus è vita, ſi ad Societatem Ieſu quam accommodatiſsimo ſẽſu transferre voluero, res erit plena pietatis, ſed iuſti voluminis, & moræ prolixioris. Cui breuitati vt ſtuderem & illam cauſam præteriui, quæ à Sodalitatibus peti poteſt, quas Societas paſsim in collegijs ac domibus honori Deiparæ conſecratas habet plurimas, omni cura & diligentia cultũ eius promouere contendens, vt par officium Societati Beata Mater rependere debere videatur; quamquam ea Sodalitatum inſtitutio præclarum

Ioan. 16. 26.

eſt

eſt eiuſdem Deiparæ in ordinem noſtrum beneficium; eſt tamē cauſa quoque iuſtiſsima, cur Societatem illa tueatur ac foueat.

CAPVT III.

Societatem in ſuo parente Ignatio à B. Virgine præformatam.

DE B. IGNATII laudibus, non eſt hic dicendi locus, neque plura à me dici poſſunt, quam quę eius vitæ ſcriptores Ribadeneira, Maffeius, Orlandinus in hiſtoria Societatis, & pro eius vita Apologijs Gretſerus, alijq; diſertiſsime tradiderūt. Iure gloriatur hoc ſancto parēte Societas, à quo eſt ad optimæ Reipublicę formā cōpoſita, monarchiam illā, ſed ariſtocratia tēperatā, certis alligata mēbris, ac gradib⁹ diſtincta Profeſſorū, Coadiutorū & Scholaſticorū; optimiſque legū & cōſtitutionū inſtitutis

ad poſteritatem ſtabilita; itaque magno ſuo bono experitur quod de eo prædicabat Granatenſis, Nouum fuiſſe ſpeculum virtutis, & prudentiæ, datum à Deo ad animarum infinitarum ſalutem. Quam multi religioſam in hac Ieſu Societate vitam profitemur, quæ niſi à B. Patre edita eſſet in lucem, & moribus noſtris congruenter inſtituta, adhuc in ſeculi tenebris hæſiſſemus, nec de alia ſanctioris vitæ ratione complectenda cogitaſſemus. Hunc igitur parentem noſtrum, ſi ſanctiſſima Mater in ſpiritu peperit, & nos omnes, qui in eius pectore, velut in Abrahæ lũbis poſteritas omnis, continebamur, peperiſſe credenda eſt; ſi quantus fuit Ignatius, totus Deiparæ virginis opus fuit, tantamque rem, eius ope potiſſimum & inchoauit, & perfecit, quin tota ſocietas à sãcta Matre in ſuo parente & cõdita ac

Epiſt. 1. ad Petrum Ribad.

ac præformata ſit, ambigi non poteſt. Non enim Ieſu modo primarij ducis & auctoris, ſub cuius auguſtiſſimo militat ſigno Societas; verum & Ignatij, ſub eo duce vexilliferi, quo in ea colligenda vſus eſt adminiſtro, ſpiritalis Mater exiſtet; Mater inquam vtriuſque ordinis noſtri fundatoris, & auctoris; quare & nos filiorum habebit loco maternâque ſuâ curâ reget, ac prouidentiâ tuebitur, quos in Chriſto primum Ieſu, tum in Beato quoq; genuerit, atque educarit Ignatio.

Vbi iam in animum conſtanter induxiſſet Ignatius, ſuperioris ætatis errores, nouâ inſtituendâ vitâ corrigere, quadam nocte, precandi incenſus ſtudio, de cubili proſiluit, totoq; animo ac corpore proſtatus, ante Sacratiſſimæ Dei Matris effigiem, feruentes & humili mixtas fiducia preces effudit, ſe totum Saluatori filio per puriſſimam Ma- *Petrus Rib. l. 1. cap. 2.*

trem offerens,ac ſpondens, deſertis vanitatis caſtris, in eius vnius ſacra militia ac poteſtate futurum, cum ecce tibi tota domus de repẽte contremiſcit, cubiculumque à fundamentis terræ motu concutitur,vt hoc indicio Deus cum Ignatij preces per virginem Matrem ſibi gratas accidiſſe teſtaretur, vt Apoſtolo Paulo & Silæ orantibus in carcere euenit; tum à Deipara pulſus ac fugatus Cacodæmon intelligeretur nunquam rediturus, nec in Ignatium, in cuius anima iã ſibi Deus ſedem fixerat,iuris quicquam vſurpaturus. Deinde altera quadam nocte vigilanti ipſa Dei Mater paruulum Ieſum in vlnis geſtans,eximia ſpecie & fulgore nitens, ſeſe illi viſendam, longo ſpatio, præbuit, ea diuinæ lucis copia, eoque exultantis animi gaudio, ac commutatione voluntatis, vt ſuperioris vitæ ſummum eum caperet

Digitized by Google

ret tædium, ac faſtidium rerũ omniũ, quas in primis ſummiſq; bonis ducunt mortales, earum præſertim quę cum obſcœna voluptate coniunctæ ſunt; quarum rerum imagines omnes vnus hic B. Matris aſpectus ex animo deterſit, ſũmaque illum caſtimoniæ perpetuo colendæ cupiditate inflammauit. Atque hoc eximio in ducẽ noſtrũ beneficio, Clementiſſima Dei Mater, ait Auctor hiſtoriæ noſtræ, tãto ante præmonere nos voluit, huius ſe minimę Societatis patronam apud filium ſuum chariſſimũ ſemper fore, ſibique ſecundum Deum oportere admirabilem eius ortum, ſecundoſque progreſſus adſcribi; nec aliunde cæleſtia nobis ſperanda præſidia, niſi ex ipſa cuius nos tutelæ Deus voluerit eſſe commiſſos. Sane virgine deprecante, B. Ignatius ex eo tempore ad extremam vſque diem, tam excellenti

fuit ornatus caſtitatis dono, vt omni plane carnis titillatione libidiniſque ſenſu caruerit. Interea temporis dum curatur, ad iugem precationem frequentemque lectionem adiungebatur ab Ignatio diligens ſcriptio, qua pulcherrima Chriſti Domini, Beatę virginis aliorumque ſanctorum, tum verba, tum facta referebat in elegantem libellum, & quidem aureis Chriſti, puniceis B. Virginis, varijs coloribus reliquorum ſanctorum exempla.

Confirmatis iam ſatis viribus, ſuſcepto Heroſolymitanæ peregrinationis conſilio, ad celeberrimam Virginis ædem, quæ eſt in monte Serrato, ſacræ militię tyrocinium poſiturus intendit; quo in itinere, perpetuo ſe caſtitatis obſtrinxit voto, nominatimque hoc votum puriſſimæ Virgini, Reginæ virginum, in qua ſpes omnes ſuas deſi-

Digitized by Google

defixerat, ſibi ipſi diffidens, ſpiritu feruẽs ſanctiſſime nũcupauit: Ac virginis ope caſtitatẽ vti dixi, sẽper integram illibatamque obtinuit: tantum & deuotionis ardor, & piũ Virginis patrocinium valet. Euaſit & aliud eiuſdẽ virginis ope diſcrimen. Adiũxerat eunti ſe comitem, Maurus homo, qui cum, vt aſſolet varios inter ſermones, de virginis integritate diſſerenti, negaret ille virginem à partu, licet ante partũ admitteret, moxque ſubditis equo calcaribus deſtituiſſet Ignatium, parum abfuit, quin recaleſcente in eius pectore ſpiritu militari, hominem perſequi, ac pugione confodere, blaſphemiam vlturus, plane decerneret; ſed conſcientia reuocatus, Numiniſque offenſam veritus, conſilium cæpit, quod excuſet piæ mentis ſimplicitas; vt mulæ qua vehebatur laxaret habenas; ſi Maurum illa con-

ſequeretur, non dubitaret interimere; ſin recta pergeret, omitteret. Mula, quamuis eſſet in proſpectu pagus, trituſque callis, quo Maurus anteceſſerat, tamen alteram arduam ac deuexam mõtem Serratũ verſus iniuit viam.

Rudis eo tempore, meliorum Ignatius, virtutis ſummam in corporis afflictatione collocabat, ſeſeque ſtatim à paternæ domus egreſſu, ſingulis noctibus acerrime diuerberabat, quamquam, non tã, vt meritas diuini Numinis offenſi pœnas exigeret, quàm vt eius ſanctiſſimæ voluntati rem acceptam faceret. Ita Deus illum iam tum ad optima quæque dirigebat.

Vbi venit in montem Serratum, Deipara religioſe ſalutata, nouam auſpicaturus vitam ab exordio, veterem retexere inſtituit, atque optimo cuidam eius Cænobij ſacerdoti Ioanni Clanonio nomen erat, gene-

generalem totius vitæ confeſſionē, cuius ea ætate, non perinde vt poſtea, vſus erat introductus; acurate per triduum ex ſcripto fecit, tum conſilia ei ſua propoſitaque omnia, de Hieroſolimitana profectione ac ſanctiore vita, diuinitus concepta patefecit; quod alterum quoque conſilium, pietatis palęſtram inituris apprime neceſſarium, futuro plurimorum magiſtro, tum eius menti Deus iniecit. Vbi Clanonius conſilia probauit, Iumentum ſuum Cænobio donat, pecuniam omnem quæ ſupererat pauperibus diſtribuit, & quia legerat nobiles olim Equites cũ initiarētur prophanæ militię, totam noctem in armis excubare ſolitos, ritu perſimili & ipſe ſpiritali militiæ cupiuit inaugurari, gladium & pugionem, quibus mundo meruerat, ante aram Beatiſſimæ Matris Dei iubet appendi, tum peruigilio Annuntia-

tionis Sacratiſſimæ virginis, quo Dei Mater effecta eſt, detracta ſibi pretioſa ac nobili veſte, ad induſiũ vſque, quam mẽdico cuidam liberaliter eſt elargitus; nouũ quem ſibi ex itinere prope Montẽ ſerratũ cõpararat, habitũ induit. Is erat talaris tunica ex tela canabina, aſpera & aculeata, in modũ ſacci, pro militari balteo funis, calcei ex ſparto contexti, ſed alterum tantum pedẽ ex veteri plaga imbecilliorem cõtexit. Baculum cũ cucurbita peregrinãtis inſigne. His armis, nouus miles inſtructus peruigil ante aram Virginis, modo ſtans, modo genibus nixus, noctem illam inſomnẽ egit, maximo animi ſui ſenſu, ſuperioris vitæ peccata deflens, & totũ ſe Virgini Dei matris præſidio patrocinioque committens; vt exauctoratus à veteri nouum coram ea ſuſciperet ſpiritalis militiæ ſacramentum. Imitatus Hiſpanorum equi-

quitum morē, qui peruigilium id armorum vocant; prima vero luce, ne à quoquam agnoſceretur, deflexo itinere, in opidum Minoreſſam diuertit, in quo annum vnum diuerſatus in hoſpitali domo S. Luciæ, prima iecit vitę ſpiritalis fūdamenta; ſæpiſſimeque diuinas inter illuſtrationes, tum Chriſti Domini Saluatoris, tum ſanctiſſimæ eius parentis aſpectu perfruitus eſt. Die quadam, dum horarias B. Matri preces perſoluit, in gradibus templi Dominicanorum, obtulit ſe eius menti ſpectandam ſanctiſſima Trinitas, ſpecie quadam viſibili id agente exterius, quod interius animo perſpiciebat; quaſi diſtincte ſingulas perſonas, earumque origines & emanationes intueretur, ea diuinæ lucis ac conſolationis abundantiâ, vt ſibi à ſuſpirijs & fletu, publicas inter ſupplicationes, temperare non poſſet; & mox de

Auguſtiſſimo hoc myſterio librū, homo litterarum rudis, conſcribere non dubitaret, ſed nulla æque admirabilis, atque illa, quę per dies octo continenter eum tenuit exſtaſis, cui par, quod ſciam, ſimilisue in aliorum ſanctorum rebus geſtis, haud inueniatur; quæ, ſi licet à tempore coniecturam facere, beneficio ſanctiſſimæ matris illi obtigiſſe videtur. Cæpit enim die quadam ſabbathi, ſub horam completorij vſque ad alterū diem ſabbathi, conſequētis ſeptimanę; eandēque horam completorij, qua multis præſentibus, qui rei exitum obſeruabant, quaſi ſomno experrectus, ſanctiſſimum Ieſu nomen ingeminans, ad ſe redijt. Ita vero per hoſce dies octo cōtinenter exanimis iacuit, omni ſenſu motuque vitę deſtitutus, vt niſi quiſpiam tenuem cordis palpitationem deprehendiſſet haud dubie ſepulturæ
manda-

mandatus eſſet. Hanc à ſenſibus admirandam abſtractionē pro ſua demiſsione ſilentio ſemper texit obſtinato B. Pater. Verum quemadmodum olim Apoſtolo Paulo, quo triduo non manducauit, nec bibit, & de multorum ſententia, raptus in tertium cælum audiuit arcana verba; Euangelij ſacroſancta myſteria & Eccleſiarum forma diuinitus patefacta creduntur, ita tum B. Ignatio, totam Societatis Ieſu formam, atque Ideam diuina reuelatione præmonſtratam fuiſſe, pia eſt coniectura. Atque vt alia prętercam, quibus id quaſi certis veſtigijs deprehendi queat, cum Pariſijs operam daret litteris, & amicorum ſuaſu, quotannis, ad Hiſpanos mercatores Antuerpiam excurreret, in ampla eorum corona, fertur in iuuenem quendam Petrum Quadratum nomine, è Medimna campi oriundum, oculos defixiſſe,

fixiſſe, ac ſeuocatum monuiſſe, gratias ageret Deo, à quo delectus eſſet, qui aliquãdo in patria ſua Collegium Societatis Ieſu conderet, æquũ eſſe vt iam tum inter ſe ipſi amiciores, ac familiariores exiſterent; quam prædictionem multis poſt annis confirmauit euentus. Nec male quiſpiam tot annorum tamque graues ſtudiorum labores, ei qui tot quoque cæleſtibus ſolatijs ac delitijs abundaret, haud futuros fuiſſe tolerabiles ratiocinabitur, niſi certus aliquis ſtudiorum eorum ſcopus atque exitus, diuina pridem illi reuelatione pręmõſtratus fuiſſet. Certe cum de Societatis inſtitutis huiuſque vitæ noſtræ rationibus aliquando cum Ludouico Conſaluio à Camera conferret Ignatius, & ex eo quęreret Cõſaluius Inſulæ Maderæ Prætoris filius genere & omni eruditione clariſſimus, cur Societas commu-

nem

nem cum ceteris clericis, aut non admodum diſſimilē corporis cultum adhiberet, cur publice in templis alternantibus choris, vt ceteri ordines, ipſa quoque non pſalleret, cur pedeſtres Tyronum ad eorum ingenia periclitanda, ſine viatico, corrogata ſtipe, peregrinationes imperaret, cur præter Profeſſorum Probationiſque domos, Collegia inſuper haberet: cum hæc & alia eiuſmodi inter ſe communicarent, eorumque ſigillatim rationes Ignatius redderet, ad extremum, rationum omnium sūmam, in ſuum hanc Manreſæ receſſum retulit, quo perſpicuas horum omnium & aliorum à Deo impreſſas ac quaſi conſignatas in animo ſuo notiones acceperat. Mihi quoque dignum obſeruatu videtur, cum ceteri patres, ad poteſtatem Heroſolymam nauigādi benedictionemq; à Pontifice Maximo petendam in vrbem

eſſent

Digitized by Google

eſſent profecti, B. Patrem non ſe Venetijs commouiſſe, non ignarũ opinor euentus, quamquam & aliæ ſuberant cauſæ, ſed quæ huic ſuauiſſimæ Dei prouidentiæ famularẽtur. Cum ceteri item patres, primas Diuinæ Maieſtati hoſtias obtuliſſent, B Ignatius præ reuerentia tanti myſterij ſeſquiannum integrum ad comparandum ſe animumque magis colligẽdum ſumpſit, qno purius Auguſtiſſimum Ieſu Chriſti corpus conficeret, atque offerret; quo omni tempore, ait eius vitæ ſcriptor, toto pectore in diuinarum rerum commentationem incumbebat, & beatiſſimã virginem Deique matrem diu noctuque obſecrabat, vt ipſum apud filium ſuum in gratia poneret, & quæ cæli eſt Ianua ſingularis, Dei hominumque conciliatrix, ipſa ſibi aditum ad filium aperiret; vt à filio agnitus, filium ipſe agnoſceret, &

Rib. l. 2. cap. 11.

ret, &

ret & inueniret. Tam crebras autẽ & tam admirabiles accepit illuſtrationes, vt ſibi in primęuum illum Manreſæ ſtatum reſtitutus videretur. Primitias obtulit Romæ ad ipſum Præſepe, & incunabula Chriſti Domini, quæ in æde ſanctiſſimæ virginis Mariæ ad Niues ſumma religione coluntur, vt eadem quoque virgine internuntia & mediatrice ad filium Deũque Patrem vteretur, qui mos illi colloquiorũ perfamiliaris eſt in exercitijs. Hac eadem patrocinante Clementiſſima Dei Matre plurimas grauiſſimaſque quæ ſeſe illi in omni vitę curſu ac potiſſimũ in fũdanda propagãdaq; Societate, difficultates obtulerũt, feliciter euicit, è quibus illa eſt memoratu non indigna. Cũ ad fundationem collegij Patauini, Prioratũ quẽdam ſuũ detuliſſet vir ornatiſſim⁹ Andreas Lippomanus, eiuſq; poſſeſſio peteretur à ſenatu *Rebade. l. 3. cap. 6*

Vene-

Veneto, contraque, Lippomani propinquus ordinis ſenatorij, opibus & auctoritate potens, vehementer obſiſteret, deſperabat Laynes ignotum ſe & externum hominem, aduerſus gratiam potentiamque tam illuſtris ciuis ac ſenatoris quicquã poſſe; itaque ad Ignatium ſcribit rem Deo commendare vellet in ſacrificio; fecit B. Ignatius die ſacro Natali Deiparæ, mox ad Laynes reſcripſit, bono eſſet animo, remque confectam duceret, quod prorſus euenit. Octauo poſt die Natalis eiuſdem Deiparæ frequenti ſenatu omniũ prope ſententijs, cum tam inuſitatam conſenſionem mirarentur omnes, ac ſe diuinitus impelli ſenatores dicerent; Prioratus noſtris adiudicatus eſt, ac ne quid homines ſibi de diuina laude decerperẽt, aberãt ij ſenatores qui cauſæ noſtræ patrocinium ante ſuſceperant.

Tria

Tria B. Ignatius, antequam è vita migraret, expetierat videre perfecta. Exercitia ſpiritualia Auctoritate Apoſtolica confirmata; confirmatam eadem auctoritate Societatem; denique Conſtitutiones conditas, quorum votorum compos effectus non ſine virginis Dei Matris ope vti poſt dicetur, cũ eſſet annis grauis, morbiſque exhauſtus, diſſolui & eſſe, id vnum illi reliquum erat votum, cum Chriſto. Igitur cum in eum morbum qui fuit ei ſupremus incidiſſet, & conſuetum eſſe crederent domeſtici, pridie quam emoreretur 3. Kalen. Augu. euocat ad ſe Polancũ, quo in omni genere negotiorum vtebatur plurimum, ſub tertiam à meridie, ac nihil tale ſuſpicanti magna tranquillitate ſolus ſoli refert inſtare diem ſuæ migrationis. Adeat S. Pontificẽ ab eo ſibi & alteri (is erat Olauius, quẽ breui conſequuturum

turum præuiderat) benedictionem & peccatorum Indulgentiam petat, quo cõfirmatior ex hac vita lætiorque diſcedat. Polancus differre cupit in poſterum diem; arceſſitiq; ab eo medici nullum ſubeſſe periculum confirmant: ac præter conſuetudinem ſolus eam noctem cum Deo lætiſſimus exegit B. Pater; moxque illuceſcente die, iunctis manibus, oculis in cælum defixis Ieſum corde, Ieſum ore implorans placidiſſimè expirans à ſocijs inuenitur. Vir vere humilis, ſuique contemptu admirãdus, qui cum obitum ſuum præſciret, ac reddere poſſet clariſſimum, maluit eſſe obſcuriſsimũ, ne inter cæteros eminere velle, aut de Societate tãquam de re ſua laborare videretur: cum ſe nihil eſſe duceret, vnum eius auctorem habendum Ieſum, à quo nomen accepiſſet; cumq; medicorũ ſententiæ ſine ſtrepitu non
poſſet

poſſet obſiſtere, extremis quoque ſeipſum ſolatijs ac præſidijs, maioris gloriç Dei reſpectu, fraudauit, gratiſsimamque Deo humilitatis, & obedientiæ victimam immolauit. Reliquit moriens duodecim Prouincias, Italiæ, Luſitaniæ, Caſtellæ, Bæticæ, Aragoniç, Neapolis, Siciliæ, Germaniæ tum ſuperioris, tum inferioris, Galliæ, Braſiliç, Indiç quæ eſt ad Orientem, & in ijs domicilia fere centum.

Anno à cõfirmata ſocietate 16. A cõuerſione ſua 35. Ætatis 65. Sæculi 56.

CAPVT IV.

De prima Societatis Ieſu ſub auſpicijs Dei Matris origine & inſtitutione.

QVI ſe primi B. parenti noſtro Ignatio ad ineundam Societatẽ adiunxere cõmilitones, fuerũt Petrus Faber, & Frãciſcus Xauier, ſtudiorum ſocij, & contubernales; ad quos modico poſt interuallo, acceſſerũt ordine, Iacobus Laynes, Alphõs⁹ Salmerõ, Simõ Roderic⁹, & Nico-

& Nicolaus Bobadilla. Ab hiſce numero ſeptem, confecto philoſophiæ curſu, adeptaque laurea Magiſtrali, anno poſt Chriſtum natũ 1534, die Aſſumptæ in cælum Deiparæ ſacro, in ęde eiuſdem virginis Mariæ, quę Mons Martyrum vulgo dicitur, & ab vrbe Lutetia non procul abeſt, iacta ſunt Societatis Ieſu fundamenta, cum ieiunijs & voluntarijs pœnis præmiſſis, peccatiſque rite expiatis, operante ſacris Fabro ſub ſacroſancta Euchariſtiæ myſteria, omnes ſeſe Deo Opt. Max. votis rite nuncupatis conſecrarunt.

Votorum hęc ſumma fuit, vt iam tum rebus humanis proprijſq; nuntium remitterent, & illibatam caſtimoniam perpetuo colerent. Deinde ad certum diem ſuis ſe fortunis ac facultatibus exuerent, ita tamen vt paupertatis voto, quamdiu Pariſijs eſſẽt ſtudiorum cauſa,

non

non tenerentur, nec impedirentur quo minus ad iter Hieroſolymitanum viatici ſubſidium ſibi compararent; interea nihil vnquam in miſſæ ſacrificium acciperēt; facta à Pontifice poteſtate, Heroſolymam omnes confecto Theologiæ curriculo nauigarent, ibique Religionis Chriſtianæ bono, ad mortem vſque manerent, ſi re Deo nouis precibus cōmendata, id probaretur; aut ſi pluribus aliud placeret, Romam illico ſe referrent, & ad Pontificis genua ſuam operā vltro ad animarum ſalutem, eius arbitratu, deferrent: Quod ſi Venetijs, nullus in Palæſtinam aditus pateret, tum nauigationis oportunitatem annum adhuc vnum expectarent, qua deſperata, tum demū peregrinationis voto liberos ſe intelligerent, & ad Pontificem, in eius futuri poteſtate, redirent. Quæ quidem vniuerſa ceterorum

com-

communi, recepta conſenſu, à B. tamen Ignatio profecta, ac prima quędam adumbrata fuiſſe Societatis rudimenta non eſt obſcurum. Hæc eadem vota, conſequentibus annis duobus, ſed aucto numero, tribuſque alijs, Claudio Iaio, Ioãne Codurio, Paſchaſio Broëto, in eandem adſcriptis Societatem, eadem ipſa die, cærimonia, & loco confirmauerunt; vt appareat à primo exordio, auſpice ac pręſide Beatiſsima matre, cuius ad aram ea sũt edita vota, coalitam eſſe Societatem, & à primis Patribus ſingularem eam delectam fuiſſe Patronã, quæ ſua filium Deum illis prece, gratia, & authoritate conciliaret; quod idem annotat Orlãdinus. Ab hoc inquit die qui aſſumptæ Deiparę ſacer erat, omnes eam ſibi patronam apud Deum adoptarunt, & poſt Societatem conditam, eum diem quaſi primum eius Natalem

talem, ſingulari religione ac memoria coluerunt, eandemque potiſsimum ob cauſam ab hoc anno ratio ducetur annnorum.

Exorto inter Gallos Hiſpanoſq; bello, maturius Pariſijs, anno 1536 digreſsi patres, vt B. Ignatio Venetias ex Hiſpania venturo occurrerent, in Gallia Germaniaque nouis tum hæreſibus perturbata, corollam indicem religionis orthodoxæ de collo ſuſpenſam geſtabãt ac nullo non die, cum ceteris Deiparæ laudibus magno animi ſenſu decurrebant. Itaque ſenſerunt non ſemel præſentem Numinis opem; Nam & Simon atro quodam humore qui teterrimus aſpectu fæde eius humeros inuaſerat, & in vlcus erupturus videbatur, illuſceſcente die ſubito vt ne veſtigium quidem remaneret, omnino liberatus eſt; & Xauerius, cum lacertos & coxendices, ſui coercendi

cauſa.

cauſa, funiculis colligaſſet arctiſſimis, iamque ſeſe illi in carnem penitius induiſſent acerbiſſimo eum vulnere, ac cruciatu, nec ſpes eſſet in arte medicorum, orantibus ſocijs liber apparuit, fractis funiculis ac dilapſis, ad iter expeditus. Denique in quodam oppido, non procul ab vrbe Conſtantia, à certo periculo quod hæreticæ ſectæ furens Parochus comminatus erat, Angeli ductu, vt creditur, erepti; quæ res multorum ſunt litteris celebratæ. In priore eorum Venetijs ad vrbem itinere, ad Lauretanam virginis ædem, biduum, triduumue in rerum piarum commentatione conſumpſerunt, & quam erant inituri vitæ Societatem impenſius commendarunt.

Conſtituta demum Societate, non ſine preſente virginis Matris ope, quam per multa ſacrificia & aſſiduas preces implorarant, atque impe-

impetrarant (annum enim integrũ in conficiendo confirmationis à S. Pontifice negotio deſudauit B. Pater, & præter ieiunia ceteraſque corporis afflictationes, ad tria millia ſacrificiorum vouerat, quæ mox à ſocijs exſolui curauit) primus habitus eſt ab ijs qui præſẽtes aderãt, numero ſex, ad creandum Præpoſitum generalem conuentus; Nam Xauerius & Rodericus in Luſitaniam, Faber in Germaniam, ad cõuentum Wormatiẽſem erant profecti; Bobadilla Beſignani detinebatur, ac præter Bobadillam ceteri ſua reliquerant, aut tranſmiſerãt obſignata ſuffragia. Sententijs omnium tam abſentium, quam præſentium renuntiatur Prępoſitus B. Ignatius, cum viſum eſſet omnibus neminem poſſe melius Societatis tenere clauum, ſocioſque regere, quam qui eos in Domino genuiſſet, vt in ſuo ſuffragio recte

monet Xauerius, per quam Deus nouam hanc in Eccleſia familiam ſuſcitaſſet. Diu quidem renitendo obluctatus eſt B. Pater, verum aliquando compulſus, tertia Paſchatis feria XIII Kalen. Maij, delatũ munus admiſit, quo fere tempore B. Petrus paſcendi gregis Chriſti ſuſcepit onus. Mox igitur in proximam feriam ſextam, vt ſeptem vrbis inſigniora templa quas vocant Stationes, ſimul omnes obirẽt, indixit & cum ad D. Pauli ventum eſſet, loco ab hominnm congreſſibus ſemoto, ac vacuo, ad Beatiſſimæ virginis Dei Matris ſacellum in quo ſanctiſſimum Ieſu corpus tum aſſeruabatur, conſtitere. Erat tum id ſacellum ad dextram intrãtis per principes valuas, ſub imos gradus per quos ad ſacra Apoſtolorum corpora ibatur, nunc in templi ſuperiora tranſlatum, ex parte ſiniſtra, vbi ipſamet Dei Matris effigies

-ſigies religioſe viſitur, & ſalutatur à noſtris; hic igitur B. Pater, ſacris operans, vbi ad communionem corporis Chriſti ventum eſt, conuerſus ad ſocios, & prouolutus in genua, læua deſcriptam profeſſionis formulam, dextra ſacram de patena præferens hoſtiam, primus multis cum lachrymis, ceteris quoque collacrymantibus, ſolennem edidit profeſſionem, cōceptis verbis, corā ſacratiſſima virgine Maria, tum reuerſus ad altare cōmunicauit, & cū ſe iterū ad ſocios Chriſti corpus dextra præferens cōuertiſſet, reliqui quinque ex eadē formula quæ in Conſtitutionibus habetur, eandem profeſſionem, nūcuparunt, vt obſcurum eſſe non poſſit prima illa profeſſorum primordia, ipſamque adeo naſcentem Societatē ſanctiſſimæ virgini matri acceptam eſſe referendam.

Ad hæc primum quod Domini

profeſſæ (quæ cum ipſa Societate nata eſt, ex qua ceteræ per vniuerſum orbem manarunt, ac veluti coloniȩ deductæ ſunt) obtigit templum, exeunte anno 1540, fuit S. Mariȩ de Strada, quod B. Pater delegerat & optarat ad Capitolij radices, percelebri vrbis regione, quod templum varie auctum, & commutatum, cum populi frequētiam non caperet, tandem ab Alexandro Cardinali Farneſio magnificentiſſime de nouo exȩdificatum, ac Ieſu conſecratum eſt, in eius primarium ſacellum traducta ſingulari quadam artificum induſtria, atque opera ſanctiſsimæ Dei matris Imagine, miraculis celebri, cū ipſo cui adhærebat depicta pariete, quæque nunc ſumma totius populi Romani celebritate colitur; vt in ipſius virginis matris gremio, & ſinu nata videatur, atque educata Societas, in ea, quæ fuit omnium prima

prima, domo profeſſa. Hic primũ ſocietatis exercitæ functiones, hic à Beato Patre tradita Catecheſis, & ardentes diuino ſpiritu conciones habitæ, hic frequentãdæ cõfeſſionis & Euchariſtiæ mos poſt tot ſæcula renouatus: hic, abſit verbo inuidia, cum prope iaceret extincta virtus, & pietas in horum vſurpatione ſacramentorum, beatiſsimæ virginis Matris ope auſpicijſq; reſurrexit. Qua de re pręſtantiſsimus doctrina ac pietate Cardinalis Baronius auditus eſt aliquando, cũ in publica concione, templũ iſtud Anaſtaſiam nuncuparet, alluſione ad illud Nazianzeni, cum in diuæ quoque Matris templo Conſtantinopoli fides orthodoxa reſurrexiſſet. Ita populi Romani pietatem in vſurpatione ſacramẽtorum pœnitentiæ & Euchariſtiæ veluti conſopitam, denuo exſuſcitatam hoc in tẽplo reſurrexiſſe Cardinalis in-

Oratio. ad 150. Epiſco.

dicabat. Sane quod in Apoſtolorũ Principe B. Petro. S. Leo Pontifex obſeruat, idcirco eum ad arcem Romani deſtinatum imperij, vt lux veritatis, quæ in omniũ gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mũdi corpus effunderet, id etiã primis huius minimę Societatis Patribus diuino conſilio videtur eueniſſe, vt in vrbe principe & orbis Domina, ardentis ſui zeli primitias velut effunderent; hic ſolennem ederent profeſsionem Apoſtolica iam auctoritate comprobatæ religionis; hic ſtabilem ſedem domumque profeſſam nanciſcerentur, vt ex vrbe Societas ad omnium gentium inſtituta ſalutem, in orbem terrarum & in fines orbis terræ propagaretur. Verum ad ipſa vota redeamus. Primi igitur cũ B. Ignatio Societatis fundatores, prima ſua & ante initam, & poſt confir-

nfirmatam Societatem vota pri-
:a publicaque, coram ſacratiſſi-
. virgine,ea auſpice,teſte, ac præ-
enũcuparunt. Atque ex his pri-
s initijs, non modo renouando-
n apud nos votorum conſuetu-
deducta eſt; ſed omnium plane
torum tum quæ ſimplicia voca-
ıs Scholaſticorum, & Coadiuto-
n; tum quæ publica Coadiuto-
n formatorum, tum quæ ſolem-
ı profeſſorum, omnium plane
æ à noſtris hominibus eduntur
torum formula concepta, eſt at-
.e preſcripta; *Coram ſacratiſsima*
rgine Maria, & vniuerſa curia cæ-
i; qua quidem in curia multi sũt
ignes Patroni noſtri de hac ip-
ſocietate, militia feliciſſime per-
ıcti, cum Chriſto regnantes; ipſe
primis B. Ignatius, Xauerius,
ber, Borgia, alijque; ſed honoris
ıſa ſola Beatiſſima virgo Mater
primitur, & inuocatur; vt ſingu-

laris Patrona, Materque Societatis vniuerſæ, quam vt in edēdis votis teſtem ac prę ſidem adhibet, ſic in obſeruandis & exequendis eximiam experitur adiutricem. At quemadmodū tum Paſtores Bethleemitici, tum Reges Magi, Chriſto per virginem Matrem infanti ſua munera detulerunt, eaque ſunt vſi mediatrice, ſic nos per eiuſdem clemētiſſimę Matris acceptiſſimas manus oblationem votorū noſtrorū deferimus, nec indonati ſine nouo gratiarum fænore remittimur. Hæc vna Mater filio conciliare nos maxime poteſt & dignos Ieſu Societate perficere; huius ope patrocinioque nitēdum ſingulis quo præcipue nititur Societas vniuerſa.

CAPVT V.

Quam neceſſario Eccleſiæ tempore ſit orta & excitata Societas Ieſu.

PERSPICI id poteſt ex triplici fine, quem ſibi propoſitum habet, triplicique cauſa, ob quam eſt erecta Societas; vt exprimit Inſtituti formula litteris Apoſtolicis comprehenſa. Nempe ad defenſionem, & propagationem fidei, & animarum in doctrina & vita Chriſtiana profectum. Fides aduerſus hæreticos defenditur, apud infideles propagatur, apud Catholicos excolitur, vt ampliorem in Chriſtiana doctrina vitaque profectum edat; de qua cauſſa forſan alias nūc prior vtraque quia pertinet ad laudem aliquam Virginis, breuiter explicanda. Canit Eccleſia ſanctiſſimam virginem vniuerſo in mundo cunctas hæreſes interemiſſe, quod

tum alijs modis, tum hoc ſenſu poteſt accipi, vt per ſuos clientes & à ſe ſuſcitatos verbi diuini Præcones id egerit. Exortis Albigenſium hæreſibus cum B. Dominicus Prædicatorum ordinem inſtituere eſſet aggreſſus, vidit ſe & B. Franciſcum, qui de ſuo tum quoque agebat ordine Minorum fundando, à miſericordiæ Matre coram filio Saluatore productum, ad mitigãdam illius iram in peccatores iuſtiſſimam, cum rogaret Mater filium ijs parceret quos ſuo ſanguine redemiſſet, & hoſce duos famulos ſuos ſtrenuam in mortalibus ad pænitentiam reuocandis operam poſituros ſponderet. Huic præclaro viſo per ſimilem rem primis Patribus naſcente Societate contigiſſe, illoſque vti gnauos & induſtrios Eccleſię operarios Chriſto Domino à clementiſſima Matrę fuiſſe oblatos, ſi reliqui eorum in-

ſignes

:nes animarum in Eccleſia fru-
ıs taceāt, certe hęreſum Luthe-
ıarum, quæ ſunt omnium, quas
dit Eccleſia,profligatiſſimæ, re-
tandarum neceſſitas eloquitur.
quo tempore cæperunt ordines
ligioſi ſanctorum Dominici, &
ācisci deploratus habebatur Ec-
eſiæ ſtatus;longe erat deploratiſ-
nus, cum primum eſt excitata
ocietas. Si tum Chriſtus Domi-
ıs infenſus mundo,tres haſtas ſuę
ſtitię vindices, euibrare parabat,
ıam in auaros, alteram in luxu-
oſos, tertiam in ambitioſos, niſi
Mater ſuorum obiectu famulo-
m filij ſedaſſet iram; ſane cum
ta eſt Societas, & illa tria vitio-
m latiſſimè graſſabantur incen-
a; & illis materiam fomentaque
æbebant ex orco velut in eum fi-
m exſuſcitatæ nouæ hæreſes; re-
ionis ſpecie ad omnē nequitiā a-
tu patefacto,refractis Eccleſiaſti-

cæ diſciplinæ repagulis, licētia carnis & impietate, noui Euangelij titulo promulgata. Cum eſſet anno 1483 natus in ſaxonia Martinus Lutherus futurus Eccleſiæ dira pernicies, octo poſt annis in Biſchaija nobilis genere editus eſt in lucem Ignatius de Loyola, nouæ huius Societatis inſtitutor; Quo vero Lutherus anno 1521 Eccleſiæ Catholicæ bellum palam indixit, Ignatius in arce Pompeolana vulneratus, ex prophana ad ſacram eſt traductus militiam; atq; vt obſeruat Genebrardus in Chronico, quo tempore Satanas ad diruendũ aliquos erigit, Deus alios ad ædificandum excitat; & quæ eius bonitas eſt, aduerſus venena, mature parat antidotum. Vt poſt alios hæreſiarchas inſanierunt, Lutherus, Caluinus, alijque, ſic poſt alios Religionum patriarchas ſapuit B. Ignatius ac noui ſub eo milites, vir-

tutum

am & litterarum armis egregie
ructi, veteranis opē laturi pro-
:unt. Denique ſub annum 1534
o Henricus octauus Rex An-
e fœdiſſime nouū induxit ſchiſ-
, iacta ſunt eius ordinis funda-
nta qui ſeſe ſummo Pontifici
:cipua obſtringeret ſpecialis vo-
eligione, & fidem in Anglia sū-
cura ac contentione tueretur.
icet eadem diuina prouidentia,
iomine Ieſu, quod inditum eſt
cietati. Dum enim impij blaſ-
emique Sectarij proprium Ieſu
mē obſcurare, eique tacite Dei-
em detrahere nituntur, appella-
um Chriſti, purum Chriſtum,
n Chriſto fratres concrepantes,
cietas nata eſt quæ ſacrum Ieſu
men præfigeret titulis, vſurpa-
que creberrime. Et quoniam à
gine quoque Dei Matre ſuis
ſphemijs violanda non tempe-
unt, dum nullo eam ſpeciali cul-

tu pro-

tu proſequendum ducunt, nec de eius illibata recte ſentiunt integritate, impeccantia, & vitę ſanctitate, inde Societatis homines omnibus eã ingenij viribus, vti par eſt, celebrare ſunt aggreſſi, hyperdulia colendam, ſemper intactã ante partum, in partu, & à partu virginem intemeratam; ab omni non modo quæ ſuſcipitur actione noxa, quod eſt exploratum fidei dogma, verũ etiam ea quæ contrahitur origine, macula, prorſus immunem ab ipſo primitus conceptu ſemper immaculatam eſſe demonſtrans. Ceterũ quantum operę, diligentiæque, & induſtriæ in coarguendis & extinguendis hæreſibus toto Septemtrione poſuerit, ponatq; Societas, quãtum hactenus tum editis libris, tum publicis priuatiſque congreſſibus, ac diſputationibus, profecerit; id ab alijs æquis iudicibus æſtimari malim, quam à me dici, neque
res

eſt obſcura. Apud omnem po-
itatem loquentur elaboratiſſi-
Petri Caniſij, Roberti Bellar-
ni, Iacobi Gretſeri aliorumque
enij & doctrinæ monumenta.
uod attinet ad alteram cauſam
opagandæ fidei, haud diu ante-
am naſceretur Societas, aut ipsâ
n natâ, patefactæ ſunt vaſtiſſimæ
giones tum ad Orientem tum
Occidentem Solem, Indiæ, Æ-
opumque nationes, in quas à
ſtris quoque hominibus Euan-
lij lumen inferretur, quod vel
tea numquam illatum fuerat, vel
tuſtate temporis morumque ef-
ata barbarie iam plane erat ex-
ctum. Ad Orientem quidem
ſpicijs & ductu Regum Luſita-
e ab Henrico Principe Ioannis
nomine primi filio, tum ab Em-
nuele & Ioanne II. Regibus nō
n imperij quam religionis Ca-
olicæ propagandæ ſtudioſis, ex
regio-

regiones ſunt apertæ; ad occidentem verò à Caſtellæ Regibus Ferdinando & Eliſabetha Catholicis, tum à Carolo V. eorum ex filia nepote, denique Philippo 2. cuius voluntate ac rogatu in eas terras aditum ſibi Societas patefecit. Nationes ſunt multitudine innumerabiles, immanitate barbaræ, impietate idololatræ, moribus inquinatiſſimæ, locis ac regionibus diſitiſſimę, ac propemodum infinitæ; in quibus ad humanitatem vitamque ciuilem traducendis, tum Chriſti fide ac religione imbuendis noſtrorum hominum deſudet labor, patientia, & charitas. Extitit hactenus, Deo laus, operæ pretium & fructus, multis hominum myriadibus, ſacro baptiſmo luſtratis, & ad eccleſię perductis ouile. Nec in maritimis modo noſtri commorantur oris & vicinas adeũt regiones, ſed in remotiſſimas, intimamque

e continentem ad cõquirendos
rbaros ſummo labore, nec ſine
rto vitæ diſcrimine, hominum
eo deuoti venatores excurrunt.
d hæc Æthiopiæ ſeu Abaſſinorũ
ılgo Presbyteri Ioannis, Mono-
ıotapæ, Congo, Angolæ, Guineæ
egna luſtrarunt, hodieque non in-
tiliter in eiſdem elaborant; Du-
a quidem harum excurſionum
Prouincia eſt, Crucibus refertiſſi-
ma, ſed quam noſtri ſumma am-
biant charitate; non fames, non ſi-
tis, non labor, non laſſitudo, non
itinerum aſperitas, non certiſſima
vitæ diſcrimina, non incolarum
duritia aſperitaſque, ne dicã feri-
tas & immanitas ab incepto Chri-
ſti Crucis amatores deterrere poſ-
ſunt. Iam vero multi ſunt Neophi-
torũ vici in quibus Chriſtianæ vi-
tę cultus inductus eſt; ac præter a-
lia pietatis officia, pulcherrimus
ille mos, ad Deiparæ honorem S.
Roſa-

Roſarij recitandi receptus vſus. Prima luce ſignum datur ad Angelicam ſalutationem, neque multo poſt ad ſacrum conueniunt; ante illud pueri puellæque ad templi fores ſeorſim in choros diſtributi alta voce alternatim Roſarium recitant; Initium illo preludio faciunt pueri; Benedictum & clarificatum ſit ſanctiſſimum nomen Ieſu; quibus per antiſtophen puellæ reſpõdent. Et ſanctiſſimæ virginis Mariæ matris eius, nunc & ſemper Amen. Abſoluta quaque decade interponunt laudem *Gloria Patri &c.* Denique ad ſacrificium ſe conferunt. Quæ ſane pietas quin ſanctiſſimæ Matri ſit acceptiſſima dubitari non poteſt. Hanc autem Indiæ, potiſſimum ad Orientem, patefactæ, ſanctiſſimæ virgini Matri laudem deberi, teſtis eſt Henricus Princeps, eius auctor nauigationis non modo bellica virtute clarus &

Mathe-

Mathematicarum ſciẽtia,ſed quod caput eſt in Deum Deiparamque virginem obſeruantia ſingulari; nã in illa ſumma fortunæ temporũq; licentia cum eſſet firmiſſimo corpore, tamen illibatum virginitatis florem ad extremum vſque ſpiritum retinuiſſe fertur; præerat ordini nobiliſſimorũ equitum, Chriſti nomine, contra barbaros inſtitutorum, & quos ex eo magiſtratu capiebat amplos prouentus, in nauigationis eius ſumptus conferebat. Per quietem admonitus cæleſti viſo quod cogitata conquiſitione tamdiu ſuperſederet, mox inſtructis duabus nauibus, ad remotiora Africæ littora ſuos emiſit nauarchos; Reginã cęli precatus, vt volens ac propitia ceptis adeſſet; cui & ipſo aditu portus Oliſipponenſis,hoc fine ſacram ædem extruxit; ex qua Gama & Prætor qui cum eo primi in Indiam, Calecutum

cutum, appulerunt, ſolemni cum ſupplicatione, nudis pedibus ad naues deducti ſunt; quam ædem Emmanuel Rex India patefacta, mirã in amplitudinem extulit, auxitque accitis ab Hieronymiana familia religioſis ad eius curã ac tutelam locus ab incunabulis Chriſti Bethleem dictus, regia munificẽtia dignus, in primis Hiſpaniæ viſendus. Tũ Emmanuel toto quoque regno ſupplicationes indixit, ac virgini Matri nauigationis Indiæ Præſidi ab vniuerſis gratias haberi voluit. Et ſane præſentem eius opem, præſidiumque non ſemel experti ſunt Luſitani, profligatis barbarorum immenſis exercitibus, hoſtiũque depreſſis claſsibus longe potentiſsimis. Teſtantur id oriente toto plurima à Luſitanis exedificata templa, illudque imprimis virgini Mariæ victrici Cananoræ à
1506. Maff. l. 3 Laurentio Francisci Almeidæ Pro-
regis

egis Indiæ filio; at illud Malacæ Maff.l.5 1513.
irgini Annunciatæ, ex manubijs
oſtium, ab Alphonſo Albuquer-
o rerum in India geſtarum gloria
lariſſimo, tum alterum Goę, cum
x Arabia rediens Luianam, in Syr-
es impegiſſet, virginiſque implo-
ato pręſidio eſſet ereptus. Deniq;
eſtatur id quoque nobilis ad Ar-
em Dium victoria 1541, cũ à Ma-
nudio Rege Cambayę ſeptimum
m mẽſem teneretur obſeſſa. Af-
rmarunt hoſtes maiora tormenta Maff.l.5
uater ignem applicitum reſpuiſ- hiſt.Ind.
e, & ſuper ædiculam arcis, appa- Orlan.
uiſſe mulierẽ præſtanti forma, cu- l. 7. 79.
s fulgore ſic eorũ oculi perſtrin-
erentur, & immutata rerum ſpe-
e perturbarentur, vt in denos
uſitanos ſinguli pugnare viderẽ-
ur. Illa denique in Angola maxi-
e memoranda, cũ à ducentis Lu-
anis & decem Æthiopum illibus Bencius
xiliarijs profligata sũt duodecies in ãnuis 1587.
cen-

centena millia barbarorũ, incruenta victoria. Sed ne argumenti propoſiti cancellos egrediamur, ad Frãciſcum Xauerium Apoſtolum Indiarum veniamus.

CAPVT VI.

De B. Franciſco Xauerio Indiarum Apoſtolo Deiparæ ſtudioſiſſimo.

ALTER, à B. Ignatio, fundator, ac propagator Societatis Ieſu, per orientem extitit B. Franciſcus Xauerius; qui mire cum B. Patre conſentiens, quaſi eius totũ optimus diſcipulus hauſiſſet ſpiritum; eiſdem plane ſuos monitis & pręceptis informabat, quibus ille Conſtitutionibus ac legibus vniuerſam in occidente, atque orbe toto, Societatem inſtituebat. Amabat impenſe, plurimique faciebat Societatem Xauerius; vt eius meritis ac precibus accepta ferret, quæ-

Digitized by Google

ęcumq; diuinitus acciperet be-
icia, quæque in animarum ſalu-
procuranda fæliciter euenirent.
:ſpari Barzæo, cum multa tradi-
ſſet præclara monita, tũ hoc po-
emũ maximè cõmendauit; Me-
)r eſto Societatis Ieſu mem-
.im te eſſe, & cura, vt in omni-
s factis, dictiſque tuis tali capi-
& corpore dignus exiſtas. Cum
ndum eſſet confirmata Societas,
c Ignatio in ſocios ius vllum
gitimi Imperij, tamen ad illius
tum, primamque vocem Xaue-
ıs in Indicã ſe obtulit expeditio-
m, vixque ſpatio dato reſarciẽ-
: vili tunicæ, ſocijſque poſtre-
.ım ſalutandis, poſtridie cum
:gato Regis Luſitanię Maſca-
ına, in iter ſe dedit, vt huic ar-
ri charitatis, & obedientiæ,
ıtorum originem fructuum,
.antos deinceps India tulit,
ud iniuria quis attribuat. Iter
Lau-

Laureto eſt inſtitutum, ad ſacram Deiparæ cellam ſalutãdam, in qua, ipſo palmarum die XII Kalen. April. Franciſcus operatus, Legato, eiuſque comitibus diuinã impertijt Euchariſtiam, nouumque cõcepit ardorem, cum promulgandi Indiarum gẽtibus Euangelium, tum dira omnia & acerba, Chriſti cauſſa, tolerandi. Cuius vtriuſque voti cõpos extitit, & quod deſiderabatur reipſa cumulate, opitulante Dei matre, pręſtitit. Nullum enim vnquam in Euangelio prædicando recuſauit laborem; multis terra marique periculis, atque ærumnis exercitus, in vlteriores sẽper Indiæ regiones, Chriſti Domini ſigna fidemque intulit, nec contentus Indiarum ac finitimarum nationum ſalute, vniuerſum oriẽtem Apoſtolica complexus charitate, cum Societatem Goæ ſtabiliuiſſet inde in Comorinum promõ-

Digitized by Google

ium, Malacam, Molucaſque in-
ciſſet, in Iaponiam primus om-
m mortalium Euangelij lucem
portauit incredibili quadam a-
ni magnitudine, cui nimis angu-
s, ad benemerendum de proxi-
s, orbis terræ videbatur. Eandē
ıturus regno Sinarum perruptis
quando, quæ Sathan obſerata te-
bat firmiſſime, clauſtris, etiam
m certo vitæ, aut perpetuæ ſer-
tutis diſcrimine; ſed in tam prę-
ari operis meditatione ipſoque
narum aditu ad pręmia laborum
ıocatus eſt. In extremo morbo, *Sæculi*
que obitu, quam Beatiſſimæ vir- *1552.*
ni Dei matri deditus eſſet cliens, *Ætatis*
uamque eam intimis ferret præ- *55.*
ırdijs, haud obſcure declarauit. *Indicæ*
uam enim in omni vita coluiſſet *miſſio-*
anctiſſime, quam optimæ Matris *nis. 11.*
abuiſſet loco, nec in ipſa mortis
ora extrema, cum vis morbi gra-
ior vrgeret, obliuiſci potuit. Quæ
E con-

ſuerat ſanus, eadem moribundus, & faciebat, & dicebat; obuerſis in cęlum oculis, itentidem repetens, *Ieſu fili Dauid miſerere mei*, *O Mater Dei memento mei*; hunc vtrumque ſuę ſalutis ac vitæ parentem intermortuis inclamãs vocibus, vt quorum cum eximia veneratione vixerat, eorum clara cum imploratione moreretur.

Auctor hiſt. c. 4. n. 61. l. 1. epiſt. ep. 5.

Conſuerat in tradenda pueris rudibuſque Catecheſi, hanc eandẽ Chriſti Domini, ac ſanctiſſimæ Matris opem implorare. Quæ ſane ratio tradendæ Catecheſis imitatu digniſſima, & compendio hic referenda eſt. Cum vnum in locum vię alicuius incolas vniuerſos, viros æque ac mulieres, pueros & maiores natu conuocaſſet; exordiebatur ab inuocatione sãctiſſimæ Trinitatis excipiẽte multitudine: tum Symbolũ Apoſtolorum, Decalogum, orationem Dominicam, & ſalu-

ſalutationem Angelicam elata recitans voce præibat, ſingulis inſiſtens articulis. Inde cum populum admonuiſſet ex ea re Chriſtianos nominari, quod firmiter ea duodecim capita crederent; Agite, clamabat, vti Chriſtianos vos profitemini, nonne hoſce articulos fide firmiſſima creditis? ſtatimque iucundo ſane ſpectaculo vniuerſi ſimul maximis clamoribus, brachijs ante pectus in Crucis modum cõpoſitis credere ſe reſpõdebant. Iterum præfatus quemadmodum credendo ſymbolo Chriſtiani vocãtur ita cuſtodiẽdo Decalogo fieri, vocarique bonos, contra autem violando malos, ſingula præcepta Decalogi percurrebat; admirantibus tum Chriſtianis, tum Ethnicis, eorum cum inſito naturæ lumine conuenientiam. Tum de ijs ſeruãdis propoſitum firmum eliciebat; & quia plus longe diuinam vim &

opem valere hic intelligebat, quam humanam operam, & induſtriam; ſingulari artificio Doctor induſtrius, ſymbolo, & decalogo præcationes interſerebat. Cum rurſus primum fidei repetiuiſſet articulum, populo ſubſequente, ſubijciebat; Fili Dei viui, largire nobis gratiam, per quam firmiter abſque vlla dubitatione primum fidei credamus articulum, hoc nobis vt des orationem pronuntiamus Dominicam. Ea pronuntiata Clementiſſimam Deiparam idem ſibi, vt à filio ſuo Ieſu impetraret, verbis prope eiſdem, precabantur, Angelicã ſalutationem ſubiungentes; quo ordine præcepta quoque diuinæ legis exequebatur, Sãcta Maria Mater Ieſu Chriſti, impetra nobis à filio tuo, vt primum Decalogi præceptum ſedulo ſeruemus, cuius gratia ſalutationem offerimus angelicam. Vniuerſæ vero huius inſtitu-

tionis ac Doctrinæ Chriſtianæ auſula erat, Antiph. *Salue Regina*, uâ Virginis Matris opem ſupplices omnes implorabant.

Non erit autem aliena nec iniuunda quę ſequitur narratio, qua Xauerij in orando perſeuerãtia aduerſus Dei Matrem pietas eximia demõſtratur. Cum ad S Thomæ Apoſtoli Meliaporam peregrinari inſtituiſſet, in obulo portu ſeptem dies ſubſiſtere coactus eſt, quod omne tempus ſine vllo traduxit cibo cæleſtibus mentem paſcens cogitationibus; cum iterum conſcẽſa naue, orta vti prædixerat, tempeſtate, Nagapalium eſſet repulſus, Meliaporam pedes maiore cum labore tum merito peruenit, & ad Vicariũ diuertit, ab eoque benigne habitus eodem in cubiculo pariter dormiebat. Vbi Vicariũ sõno credebat oppreſſum, latenter ipſe ſurgebat è lectulo, & in ædem *Turſell. l. 2 c. 15.*

Apoſtoli, ſuſpenſo ſubrepebat gradu, ibique totam noctem in precatione traducebat. Non tamen fallebat omnino Vicariũ, qui primũ re diſſimulata, tandem illi pro amicitia denuntiauit ne de nocte iret ad Templum, & viæ ſe committeret, quam conſtaret eſſe diabolis infeſtam; Adhæc arriſit Xauerius, eaq; ſui deterrẽdi cauſa dici ratus, intempeſta nihilominus nocte ad ſacram ædem ſilentio obrepebat. Ergo, vti denũtiarat Vicarius, ſupplicanti ante Virginis arã, ira odioque furentes humani generis hoſtes, ex compoſito ſuperueniunt, truci fremitu, clamoribus inconditis, horrendoque cuncta complentes ſono. Mox ad minas intrepidũ, quam tumultuoſiſſime adorti, verberibus atrociſſime cedunt, ac cõtundunt; vt poſt illi triduo curandis, plagis quieſcẽdum fuerit, Deo permittente ad Xauerij virtutis patientiæq;

ientięque incrementum; nam perſtitit immotus, inter verbera crebituſque plagarum, Dei parentem ſui certaminis ſpectatricem implorans, quo illam ſpectaculo maxime ſciebat oblectari, nec ipſam ſibi mortem ab hoſtibus malignis inferri formidaſſet. Qua eius animi magnitudine ac conſtantia, ita fracti victique, abiere, vt numquam poſthac ſuſtinuerint in eũ aliquid tale conari. Verum enimuero propulſatis hoſtiũ incurſionibus, domeſticorum non vitauit irriſiones Xauerius: nam Iuuenis quidam in cubiculo ſacro ędi iuncto cubans, has illius ſub dæmonum verberibus, itentidem repetitas voces obſeruarat, ac domi vulgauerat, *Domina opitulare, Domina non opitulaberis?* Res iucundis ſermonibus domi celebrabatur, dum Xauerius morbum ſimulans, quo factum occuleret, ignarus à Vicario

viſitatur,& dumque alia omnia per diſſimulationem reſpondet, tandẽ his ipſis vocibus, *Domina opitulare, Domina non opitulaberis*, proditus, non minus fuit aduerſus hominum ſermones fortis, quam contra dæmonum plagas fuerat; eâdemque inuicta perſeuerantiâ, mox vbi cõualuit, certaminis locum repetijt, eadẽ in æde ſacra, noctes in oratione tracturus haud ignarus Diabolum plus habere terroris, quam virium, & timidi inſtar canis cedẽtibus inſtare, reſiſtentibus cedere; nec in Domini ſeruos quicquam poſſe, niſi vt maiore Chriſti gloria vincatur.

S. Leo ep. 3.

Id ipsũ in Iaponica nauigatione impeditiſſima luculẽter expertus eſt. Nã quas nõ illi, itinere toto, moleſtias difficultateſque creauit Sathan, quæ non obſtacula per ſuos admouit adminiſtros, qui in Patris conſpectu, quotidie ſacrifi-

cabant

:abant Idolo, ex eoque ſortes du-
:ebant ſemper aduerſas Xauerio,
empuſque in obuijs Inſulis tere-
›ant; vicit tamen perſeuerantia ze-
uſque ſancti Patris, inuitis nautis,
& reluctante Satana, ipſo ſacratiſ-
imæ virginis in cælum Aſſumptæ
acro die, Gaugoximam, Pauli Ia-
›onis patriã, quę vrbs eſt in Reg-
ıo Saxumæ potentiſſima, quo ma-
:ime optabat Xauerius, applicuit,
& Diuæ Matris auſpicijs præſidi-
ſq;, in ea gente prędicationis Euã-
;elicæ primordia dedicauit. Atque
›t vnum ex eius admirandis factis
›pe Virginis hoc loco recenſeam;
:um ei quidam Adoleſcens, An-
onio Fernando nomen erat, obla- *Turſell. l. 2. 17.*
us eſſet, qui Diabolo exagitante,
ıngua vſum amiſerat, & in pericu-
oſum inciderat morbum, ex quo
ım triduum, deſperata à medicis
alute, iacebat; triplex illud Salua-
oris in Energumeno muto mira-
 culum

culum vt obſeruat Beda; B. Xauerius eſt ęmulatus. Nam ſacro B. Mariæ ad idipsũ facto, importunũ ex adoleſcēte excuſſit exagitatorē ſpiritum, tum & loquendi facultas ægro, & mentis ſanitas reddita eſt, mox etiam corporis valetudo conſequuta. Amangucij Iapones ad tria millia baptiſmo luſtrauit, anni vnius ſpatio; & qui olim ſuas illas precatorias calculorum ſeries ita percurrebant, vt ſuæ quiſque ſectæ conditorē Cames & Fotoques nominatim implorarēt; ſuperſtitione in regionē verſa, B. Mariæ coronã rite decurrere, ſalutatione Angelica ad minores orbiculos recitata, ac identidem inuocare ſalutaria Ieſu & Mariæ vocabula ſunt edocti. Mea quidem ſententia Xauerius vna re ſe maxime Deiparæ cultorem probauit, dum illibatum Caſtimoniæ florem, & eam virginalem integritatem cum qua natus erat

erat vti loquebatur & aſſeuerabat de quo dixi S. Thomæ Meliaporæ Vicarius, cui domeſtica cōſuetudine, & ſacræ confeſſionis vſu Xauerius erat perſpectiſſimus, Virginis Dei Matris exemplo præſidioque, ad extremum ſpiritum conſeruauit; tot inter occaſiones, vel Indorum nudis prope corporibus incedentium; vel Luſitanorum maiore tum licentia viuentium: quibus tamen miro quodam artificio pellices detrahebat, & pudicitiam caſtiſſimis oculis moribuſque ingerebat; quamquam qui poterant cæleſtem animum Deo continenter hærentem, abſurdæ ſpecies iſtę commouere? Quod ei poterat eſſe periculum à caſtitate quē Deus ſibi plane vindicarat, ac poſſidebat? tantaque diuinę dulcedinis vbertate complebat; vt eam humanæ pectoris anguſtiæ non caperent, & exclamare cogeretur (SATIS EST l. 8.116.

DOMINE SATIS EST) de quo Paulus à Valle cum eum ex Commorino redeuntem habuiſſet obuium,
l. 8. hiſt. Soc. nu. 117. mox ad Socios in Luſitaniā ſcripſit, Quid aliud dicam ignoro, niſi vere, vere, vere ſeruus Dei eſt iſte, & numquam inueni ſimilem illi: ſane fratres non colloquio tātum, ſed ore, & conſpectu ipſo implet homines Deo ſeruiendi deſiderio, tam ſuaui & odorifero, vt inenarabile ſit: eius os benedictione plenum eſt, nihil aliud niſi aſſidue perſonat, laudetur Ieſus Chriſtus, voce tam pia vt colloquentibus eundem ſenſum inſinuet: Et alias, cum maxime de Societatis in Europa progreſſu cognoſceret, tam tenero mollique animo, tam leto vberique fletu, diuinæ munificentiæ gratias agebat, vt in eūdem fletum, ipſos quoque nuntios, ac ſpectatores adduceret. Quam bonum, aiebat, habemus Deum, quanto opi-

nione

ione noſtra meliorē? quo eodem Rex Dauid animi motu; *Quam bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde?* *Pſal. 72.*
Quoniam recto is erat corde, Deū que rebus in omnibus ſpectabat, ideo & Deus videbatur illi tam bonus. Inter ipſas ærumnas cæleſtiū gaudiorum abundans copia, Quæſo te, Domine, orabat, noli me tantis obruere in hac vita gaudijs, aut ſi pro tua infinita liberalitate, his me circumfluere placet, transfer me hinc ocius in iſtas ſedes Beatorum; nam qui tuam ſemel dulcedinem deguſtarit, is neceſſe eſt acerbam ſine te vitam agat. Atque vt aliquando finiam, præclarum Deus, eius integritatis ac ſanctitatis teſtimonium dedit, cum decimo ſexto poſt obitum mēſe, corpus eius incorruptum, magno miraculo viſendum exhibuit, etſi primum tres ipſos menſes viua obrutum calce iacuiſſet, inde nouo in-

clu-

cluſum loculo Malacæ ſepultum, cum odoratus ex eo ſanguis manaſſet, quod arctior eſſet loculus, menſe poſt obitum quinto; denique Goam, vt dixi, 16 menſe delatum, nulla tabe violatũ, nulla ex parte læſum, eadem facie, eadem carne, ſucci plenâ, palam in templo propoſitum eſt. Ac quoniam Cœnobitæ quidam occulti balſami ſuſpicionẽ ingerebant, Proregis iuſſu à peritiſſimo medico Coſma Saraiua curioſius corpus omne eſt pertẽtatũ; tum ab Antonio quoq; Ribera qui ſacrorum adminiſtrationi prçerat, repertum eſt expers tabis, tam recens, vt ſolida in eo caro, natiuuſque ſuccus & viuidus color appareret, nullo balſami oleiue indicio; quod vterque iureiurando publicis tabulis confirmauit; & longe certioribus Deus ipſe prodigijs, miraculiſque in hodiernum vſque diem cõfirmare pergit.

CA-

CAPVT VII.

e Petro Fabro primo Sociorum B. Ignatij.

ADEM pudicitiæ laus, ac Vir-
gineæ puritatis Petro Fabro
buēda eſt, quę Xauerio, & proxi-
is certe à Xauerio inter B. Igna-
ſocios dignitatis locus debetur,
amquā prior ſe adiunxit B. Pa-
Xauerioque fuit auctor, eandē
ſocietatem ineundi, ad quam,
res alios, B. Patre in Hiſpaniam
fecto, Iaium, Broëtum, & Co-
ium aggregauit, cum ei B. Ig-
ius, tanquam parenti omnium,
edens puſillum gregem ſu-
impenſius commendaſſet. Na-
e fuit Allobrox, pago Vil-
to, tenuibus parentibus, agri-
s, ſed valde pijs, iamque à pue-
eptimo ætatis anno, ſingulares
culos pietatis, & ad deuotio-
nem

nem inſtinctus ſenſit, vt de ſe ipſe ſcribit, quo ex tempore videtur Deus eius animam intimè perua-dere ac poſſidere voluiſſe; duodecimo vero, cum in agris paſcendo gregi daret operam, Deo inſpirante, illi ſe totum, rite nuncupato caſtitatis voto, dicauit, nec diu poſt ab ea ruſtica paſtoriciaque vita, ad litterarum ſtudia traductus eſt; quamuis repugnante parente, ob rei familiaris inopiam, ſed agente diuina prouidētia quo tam idoneo, ac nauo Fabro ad plurimorum ſalutem vteretur. Eius exſoluēdi voti facultatē, à diuina gratia ſuppeditatam, multum adiuuit, auxitque ingēs & pæne immoderatus ardor ad ſtudia, quem multis ſcribit frenum fuiſſe delictis. Interiores item ſollicitudines, & ſcrupulorum angores, vehemens ſibi calcar ad pietatem addidiſſe fatetur, nec permiſiſſe, vt in orando quærendoque

Deo

o torpeſceret. Sed ab ijs, ali-
ındo B. Patris conſuetudine, &
:italium exercitiorum, ſuſceptâ
:dicinâ curatus eſt. Quibus in
ercitijs ſex ipſos dies ſine cibo
ıtuque traduxit; & tempeſtate
:rfrigida, cum ipſe fluuius Sequa-
ı, tutum plauſtris, altiſſima gla-
e, præberet iter, in apertũ & vn-
ique niue ſtratum prodibat atriũ,
uo flagrans ipſe ſpiritu Dei, pre-
ationi deſtinatas explebat horas.
?rofeſſionis ſuæ ſolẽnia vota Ra-
:iſbonæ nuncupauit, in æde B. Ma-
:iæ, quæ Capella vetus dicitur, ad
aram maximam, die ipſa Deiparæ
virginis Eliſabetham viſitantis o-
ctaua, quæ ratio votorum ſanctiſ-
ſimæ illum Matri clientem addi-
ctiſſimum conciliare ſane debuit.
Habuit hoc eximiũ Faber, vti per
continuam, ſiue gratiarum actio-
nem, ſiue precationẽ, intima qua-
dam cum Deo, cum Chriſto Do-
mino,

mino, cum Beatiſſima Matre, ceteriſque celitibus, Angelis ac beatis hominibus, familiaritate vteretur. Vix credibile foret, niſi eius commentarij fidem facerent, quam crebris, quamque illuſtribus ex ea cũ Deo ac Sanctis conſuetudine, luminibus, ac ſuauitatibus cęleſtibus perfunderetur, quaſi totus contẽplationi vacaret, cum ita tamen multiplici in proximis iuuandis actione diſtineretur, vt vix ſpatium precationi ſupereſſe videretur. Pręcipuo, vti par erat, honore colebat ipſam Miſericordiæ matrem, Celi terræque Reginam; per quam bona omnia ad homines ex illo immenſo diuinæ bonitatis pelago deriuantur, huic ſeſe totum addixerat, huius in famulatu prius diuinæ ſe ſtatuerat probare Maieſtati, quo facilior ad eius famulatum ſibi aditus patefieret. Scribit enim, quemadmodum qui regis in familiã adſcribi

bi volunt, vni prius alicui ex re-
famulis & amicis adhęrent, ei-
fide omni, officioq; deſeruiũt;
pſum vt inter Dei famulos cõ-
nerari poſſet, ſumma fide &
ritatis affectu, eius ſe prius ma-
voluiſſe dicare, & ſuæ velut do-
aæ deſeruire: & recte; nam ea-
n eſt regis filij, Reginęque ma-
aula, eadem familia; aut ſi non
em, ex hac ad illam proximus
gradus & perfacilis acceſſus.
Didicit, inſpirante Deo, tum cu-
que Beati memoriam, cum pie-
e coli; primum, ſi quis gratias
ret diuinæ clementiæ, quod cũ
inde ab æternitate, prædeſti-
ſet ad gloriam; ad eamque ſuis
eribus, & quaſi gradibus per-
xiſſet. Deinde ſi eaſdem ſan-
ſimæ Dei Matri gratias, Ange-
ue eius cuſtodi perſolueret, &
Beatis cælitibus, qui ad eius ſa-
em & gloriam aliquid contu-
liſſent

tuliſſent. Poſtea ſi & ad Deum, & ſanctum illum, pro ijs qui præcipue eum colerent, aut coluiſſent honore, preces funderet: denique ſi Deum impenſius obſecraret, vt eius litterarum monumenta, ſi quę forent, rerumque ab eo geſtarum memoriam cuſtoditam, & conſeruatam vellet. Denique ſi ſacra eius oſſa reliquiaſq; vbi vbi eſſent, quo, par eſſet, honore veneraretur, & ex ijs aliquid, vnde ſe muniret, ac tueretur, exquireret.

Ad ſingulas orandi canonicas horas, ſubinde decies Auguſtiſſima Ieſu & Mariæ matris appellabat nomina, vt decem hæc in memoriam ſibi redigeret, & inter pſallēdum ſpectanda proponeret. Vnā Dei gloriam; deinde ſanctorum honorem; poſtea liberationem eorum qui noxis tenerentur implicitimortiferis; ad hæc rei catholicæ fideiq́ue progreſſionem; mutuam

inter.

Digitized by Google

inter Principes Catholicos pacem, & concordiam. Denique leuationem eorum, quos ea ipſa hora, dolor aliquis conficeret, vel animæ vehementior ſollicitudo exederet, vel imminentis mortis horror inuaderet; aut purgatorius, apud inferos, ignis expiaret: hæc illa decem, ad horę cuiuſque Canonicę penſum, ſanĉte recolebat. Interdum illa quoque, comparandæ attentionis vtebatur ratione; quod in inchoandis ac decurrendis eiſdem horis, mentem in Chriſti Domini cruciatibus ac paſſionis articulis defigebat, & vt pſallēdo progrediebatur, ita recolēdis eius acerbioribꝰ pęnis procedebat. Intēdebātur enim Chriſti dolores, quo propius ad vitæ vrgebat exitū; quare ſibi quoq; Faber attētionē cēſebat intēdēdā ad Chriſti cruciatuū incrementa. Infinitū ſit, eius omnes orandi modos, perſequi; nullo

nullo non tempore verſabatur cũ Deo, corpore quidem in terris ſed animo defixus in cælis, modo ſanctiſſimam Trinitatẽ, modo Chriſtum Dominum, modo Clementiſſimam Matrem, modo ſanctum Angelum aliquem, aut Beatum, aut gratias agens, aut obſecrans ac petens aliquid, apud ſe tacitus, cũ maximo ſenſu ſuauitatis, interpellabat. Quicquid inciderat, mox elata in Deum mente torquebat, & quouis euentu, ad Deum, ſuę mentis arcem, confugiebat. Quærebat vbique Chriſtum, & vbique reperiebat, ac tametſi in hominum referta turba tumultuante verſaretur, tamen ipſe ſacrum religioſæ ſolitudinis ſecretum circumferebat; ſecũ habitabat, & intus Chriſtum Dominum, Deiparam, Angelos, cælites precabatur. Neque vero perpetuæ eius occupationes, ac profectiones, animarum cauſſa ſuſ-

ceptæ, quicquam de hac eius cum Deo familiari conſuetudine detrahebant, ſed eam magis incendebāt, cum res omnes ad fidei normam Deumq; dirigeret, & qua valebat arte verſandi cum Deo, mox in lucra conuerteret. Dicere ſolebat, in quiete meditationis, plus ſibi cæleſtis iucunditatis, ac ſolidi guſtus affluere ex agendis cum Deo, B. Matre, cæleſtibus mortalium cauſis, quam in rerum altiſſimarū conſideratione, ſi ab omni eam vel viuorum, vel mortuorum charitate ſeiungeret. Aiebat idem, aduerſus imbecillitates humanæ naturæ nequaquam anxia dimicatione digladiādum, ſed remedium efficax, ſi animus ſublime habitaret, quo carnis non peruenirent iacula, totamque mentem occuparent cæleſtia, ne locus terrenis pateret. Extat eius epiſtola ad Laynem, in eadē ſpiritus palæſtra verſantem, ex

qua

qua eſt hoc fragmentũ: Vtinam tibi frarer chariſſime, explicare poſſim, quæ & quanta bona, ex quo abs te Placentia digreſſus ſum, vſque ad hunc diem, & animam meã intrauerint, & in ea permanſerint: quæ ſenſerim in his quæ ad Deum, quæque ad ſanctiſſimam eius Matrem pertinent, & ad Beatos tum Angelos, tum animas, quæ vel in cælo, vel in purgatorio ſunt. Interiora vero mea quid referam? Eleuationes & depreſſiones meas, introitus in me; & exitus ex me: quo modo didicerim mundare corpus & animam & ſpiritum. Ad extremum commemoratis in ſe Dei beneficijs, Ipſi gloria amen, ipſi laus, honor benedictio, ab omni creatura. Ego quidem dico Amen, ſed & tu etiam obſecro, de hoc fratre tuo illum laudato, illum benedicito, quod ego de vniuerſa Societate & de miſericordia

Dei

Dei hactenus ſuper illam effuſa facere quotidie non deſiſto. Ex Hiſpania reuocatus in vrbem, Concilio Tridẽtino deſtinatus, cum moleſtiſſima tertiana laboraret, nec in confeſſionibus, concionibus, proximiſq;, omni ope iuuandis, ſibi ex itinere parceret, euenit vt tardius conualeſceret, ſeriuſque in vrbem intraret feruente Canicula, quo tempore eius aduentum non probarat B. Ignatius; ſed cum adhibiti in Conſilium Patres contra cenſerent, vimque diſcriminis eleuarent; ceſſit his Ignatius & vtriſque Faber, pio ac cæco quodam obſequendi ſtudio, atque ita paucos intra dies Kalendis Auguſti febrium ardore conſumptus occubuit. Scripſit Gãdia Collegij Rector Ouiedus qui poſt Epiſcopus Hieropolitanus, ac demum obijt Ethiopię Patriarcha, perſonam apprime ſanctam & miro ſpiritu Dei

Hiſt. Soc. l. 6. nu. 86.

1546.

prædicam,poſt obitum Fabri,retu
liſſe, indicatam ſibi diuinitus eiu
admirãdam inter ſanctos gloriam
ipſumque Fabrum clariſſima luc
fulgentem à ſe conſpectum , e
quo præclara audierit de Chriſ
Domini obedientia,deque gaudic
quo propter oppetitam morten
obedientiæ nomine, in beatis illi
ſedibus frueretur. Ac quotann
dum Gandię fuit,candidum in v
bem cæreum miſit,rogans B. Ign
tium vt ardentem tumulo Fab
iuberet imponi, quo ſibi ille ſpir
tale lumen à Patre luminum imp
traret. Sed hęc hactenus ne à pr
poſito diutius argumento diuage
mur.

CAPV

CAPVT VIII.

De Iacobo Laynez, Claudio Iaio, & Alphonſo Salmerone.

DVo ſunt ſacerdotum ordinis noſtri lumina, atque ornamenta, eademque ad proximos iuuãdos certiſſima, neceſſariaq; pręſidia; Virtus & Eruditio. Quare B. Ignatius, vt pietati ſtudia literarum adiungeret, non dubitauit, homo militaris, trium & triginta annorum, Barcinone primum ſub Ardebalo Ludimagiſtro repueraſcere, primaque latini ſermonis ediſcere rudimenta. Vbi cum immiſſa ſpiritalium ſenſuũ & gaudiorum copia, ei vellet hoſtis illudere, fraudem ſenſit, & ad ædem S. Mariæ à mari, ſeuocato præceptori, genibus flexis, ſancte ſpopondit, dum panis & aqua ad tolerandam vitam ſuppeterent, totum bienniũ

operam ei daturum; exigeret à ſe penſum, verbiſque & verberibus adigeret vti puerorum poſtremũ. Denique Compluti, Salmanticæ, Pariſijs cum inopia luctatus, varieque ſemper exagitatus, mira cõſtantia perſtitit; & Pariſijs de nouo curriculum auſpicatus ſtudiorum, iterum inter pueros, in Collegio Montis acuti, Grammaticæ ſpinas deuorauit, & integrum ipſum exhauſit ſeptennium, ad poſteritatis exemplum quo ſtudio cũ pietate litteræ ſint ſociandæ, vt in noſtris proximorumque, formandis moribus, & excolendis ingenijs ſit elaborandum. Quo in genere excelluerũt primi Patres: qui mox ab ſuo in vrbem aduentu iuſſi ſunt à S. Pontifice in celeberrimo ſapientiæ Gymnaſio, Faber ſacræ ſcripturæ difficiliores explicare locos, Laynez quæſtiones quæ à ſubtilitate in ſcholis exagitantur: quo

in eo-

in eodem Gymnaſio Salmerõ quoque profeſſus eſt. Idem Salmeron Ingolſtadij Paulum Apoſtolũ interpretatus eſt, & Theologiæ facultatis Decanum egit; Iaius ibidẽ Dauidicos pſalmos cum laude eſt commẽtatus,& celeberrimæ Ioannis Eckij cathedræ ſucceſſit, extatque hodie elogium illi ab ea poſitum Academia ad dignitatẽ ampliſſimum. Inde Viennæ Collegiũ aperuit poſtulante Rege Ferdinando, ſuiſque publicis illuſtrauit lectionibus: Ad Tridentinum Concilium miſſus Iaius ab Auguſtano Cardinali procurator,Iacobus autem Lainez & Alphonſus Salmerõ vti Pontificij. Theologi,dici nõ poteſt, quantopere in hoc orbis Chriſtiani theatro, ſibi Societatique nomen,à virtute & eruditione conciliarint; cum enim eſſet illa in ortu ſuo paucis cognita, & obſcura, multique ſecus, ac res eſſet de

ea ſentirent, & loquerentur, aut inſcitia, aut maleuolentia; tres hi Patres tum innocentiſſimę ac ſanctiſſimæ vitæ exemplis, tum eruditione doctrinaque refertis in Concilio dictis ſententijs, velut, in lucem illam extulerunt, probatamque ac commendatam reddiderunt, vt ex ea plurimi Præſules petenda ſuis Eccleſijs ſubſidia, Collegiaque nobis fundanda decernerent. Vt erãt à B. Ignatio ſaluberrimis inſtructi monitis, primũ omnibus Chriſtianę charitatis atque humilitatis officijs, tradenda pueris catecheſi, viſitandis noſocomijs, carceribuſque, omni ſolatio fouendis ægris, militibus Italis ex Germania profugis, cæteriſque egenis, corrogata ſtipe, veſte, tecto, ſubſidioq; omni iuuãdi, non modo ſibi Præſulũ omniũ deuinxerunt animos, verũ & ad dicẽdã in grauiſſimis fidei cauſis cũ dignitate ſentẽtiam, viam ſibi munie-

nierunt. Tum demū intellectū eſt, Sapientiā interdū ſub ſordido latere pallio, cū pānoſi detritiq; Patres, in eius ſacri cōſeſſus cōſpectū dare ſe non vererentur: quāquā poſt à Cardin. Legato veſtis honeſtior eſt ſuppeditata; verum illis potior erat animi, quā corporis cultus. Latinā habuit Salmeron, tot tantorumq; Præſulum haud indignam auribus, orationem, quæ mox ab eis probata, & in lucem edita in hanc ſeruaretur ętatem. Eminebat excellenti reconditaque doctrina Laynez, qui vt ad Deiparam aliquando, cuius honoris cauſſa, omnis hęc ſcriptio comparata eſt, veniamus, cum de primæuo diſceptaretur originis peccato, ab eoque ſanctiſſimæ Dei Matris immunitate, rogatus ſententiam Laynez, primum infirmæ valetudinis vſus excuſatione, quod grauiſſime quartana laboraret, non poſſe ſe vti maxime optaret, & ar-

gumenti dignitas expoſceret, perorare, tamen, pro eo, quo aduerſus Deiparam pietatis ardore ferebatur, ea corpori imbecillo ſufficiente vires, tres ipſas dixit horas, pro aſſerenda Virginis Immaculata Conceptione, tot productis ſanctorum Patrum appoſitis teſtimonijs, tot rationibus exquiſitis ſummi ponderis expenſis, ea ſententiarum copia, & grauitate vt ſumma cum omnium approbatione, permouerit Sacri Concilij Patres, in illud ſeſſio 5. de originis peccato decretum, diſertis verbis, referrent, Non eſſe ſuæ intentionis, eo decreto, beatam & immaculatã Dei genitricẽ comprehendere, ſed ſeruãdas Xiſti IV. conſtitutiones: qua declaratione quantum honori acceſſerit Deiparæ, vtque proximus quodammodo gradus ad id aliquãdo dogma fidei ſtatuendum factus ſit, alio dicetur capite. Dixit autem

Lay-

Digitized by Google

Laynez firmis lateribus ope Dei ſuamque ipſe vicit ſpem & opinionem, in exitu orationis, quam in principio valentior. De cætera eius vita & Societatis adminiſtratione quã ab obitu B. Ignatij geſſit, copioſe Rebadeneira. Obijt Romæ 1565. ætat. 53. 14. Kalen. Februa. cum biduum amiſſa voce, ſed animo in res diuinas intentiſſimo iacuiſſet, oculis in ipſa morte continenter in Borgiam blande & hilariter defixis, quaſi ei Societatem commendaret, & in munere Præpoſiti ſibi ſucceſſurum, haud dubius auguraretur. Iam vero Alphõſus Salmeron in creberrimis ſuis, quas Italia tota, ſpiritu feruens habuit, cõcionibus; quoties de Virginis dicendi laudibus ſe offerebat oportunitas, eam per quã auide ſemper arripiebat, omneſque ingenij ſui ac facũdię vires explicabat. Diebus autem ſabbathi, Deiparæ cõ-

ſecratis, etiam, cum per Quadrageſimam quoduis aliud tractaret argumentum, ſemper de Virginis pręcellentijs ac cultu promouendo diſſerebat; ſumma Auditorum quos ad eius amorem mirifice incendebat, admiratione, vtilitate ac ſuauitate. Conciones porro ſuas non conquiſitis verborum lenocinijs, externorumue ſcriptorũ floſculis ac pigmentis adornabat, ſed ſelectis appoſitiſque ſacrarũ ſcripturarum ſententijs, grauiſſimiſq; Sanctorum Patrum teſtimonijs inſtruebat. In quibus, atque omni doctrina Theologica quam verſatus excultuſque fuerit, vndecim illa in Nouum Teſtamentum ingẽtia demonſtrant volumina. Cum percunctatus eſſet ab infirmario, quando eſſet octauus B. Agathæ dies, & cras ille reſpondiſſet, Hic (ait) vitæ meæ terminus, ac ſubinde iterabat; In vitam ęternam, Hodie

die vitæ erumnis tandem eripiar, Lætabitur anima mea in Deo ſuo. Rogatus, quid ita eſſet hilaris, quia miſericordiæ vias patefacere incepit Deus, aiebat, cumque vox defeciſſet, labia tamen agitare, cruciſque ſignum effingere manu conabatur, quoad collabentibus mẽbris, oculis in Chriſti Domini de cruce pendentis, & Deiparæ Virginis effigiem defixis, acquieſcens, obdormiuit in Domino anno 1585 ætatis 70. Idibus Februarij. De Claudio Iaio pręclara multa habet Orlandinus in hiſtoria Societatis, *l. 12. n. 36.* & hæc inter cætera quæ cauſæ noſtrę inſeruiant. Studio fuit precationis & meditationis excellens, præterque alia, ſingulis diebus, tũ caput è Chriſti Domini vita, quod pro tempore repreſentabat Eccleſia, tum vnum è paſſionis articulis, ac ſupremis cruciatibus, orando, retractabat. In libello quo preces

horariæ Deiparæ Virginis continebantur, etiam adoleſcens, Auguſtini, Gregorij, Bernardi ſelectas ſententias de fugiendis honoribus, ad perennem memoriam ſcripſerat; quaſi iam tum, Dei matre commonente, aduerſus oblatum Tergeſtanæ vrbis Epiſcopatum, quem Cæſar Ferdinandus ſummo illi deferebat ſtudio, ſeſe communiret: quo quidem tempore fuit in perpetuo luctu lamentiſque, nihilque non egit, vt eam à ſe dignitatem amoliretur. Nouerat enim, quod Nazianzenus ſcriptum reliquit, Metum hunc omnium maximum metuum eſſe, & hoc periculum vnum omnium periculorum extremum: vbi vero B. Patris precibus apud Deum, litteriſque ad Cæſarem datis, eo exemptus eſt periculo, tum ad priſtinam redijt hilaritatem, qua ſummis, infimis, erat acceptiſſimus, facillimis naturæ mo-

ribus

ribus, iucunda quadam, ac moderata, conſentanea ſuæ perſonæ grauitate. Cum eſſet ab Hercule Duce Ferrarię euocatus, vt eius conſciētię regeret arcana, non omittebat apud Orbas, quæ ædes S. Mariæ de Roſa nuncupatur, omnium animis præſto eſſe, & ſacramentis adminiſtrandis, & verbo Dei prędicando, infimæ quoque plebi prodeſſe; aiebatque multo ſe lubentius inter ægrorum pędores, ærumnaſque verſari; quam inter odores aulę, curiæque blanditias. Vt Germanię prodeſſet, aſperæ linguæ diſciplinā non exhorruit, ac Vormatiæ, dum cōciones habet, tam gratus extitit Ferdinando Regi, vt ab ijs numquam abeſſet, eorumque exempla etiam ab inuito extorqueret, quæ tum Epiſcopis tū alijs Proceribus Germaniæ vulganda communicabat. Hæreticorum errores ita coarguebat, vt fere non læderet vo-
lun-

luntates. Minitantibus ijs præru p-ta Danubij, aiebat, Aqua tam facile quam terra Cęlum peti. Extremum diem obijt Viennæ, non tam diuturno grauique morbo, quam multiplici varietate laborum, languore, & domus Dei zelo cõſumptus, Angelus Dei, Pater Patronuſque Catholicorum, & vt appellat Caniſius, Germaniæ Apoſtolus.

1552 Societ. 13. octau. Id. Auguſt.

CAPVT IX.

Dono datos Societati Ieſu à Sanctiſsima Dei Matre, Beatos Iuuenes, Staniſlaum Koſcka, & Aloyſium Gonzaga.

NON eſt id quidẽ difficile probatu, nec obſcurum, quo cõſilio lectiſſimæ Iuuentuti, quæ plurima è Nobilitate, Societati nomẽ dedit, & vti confidimus, datura eſt, hoc vtrumque præſtans abſolutæ virtutis exemplum, à Sanctiſſima

Dei

Dei Matre ſit procuratum; Fuit e-
nim vterque Sanctiſſimus hic A-
doleſcens, à prima pueritia, atque
infantia, Virginis Matris honori
cultuique deditiſſimus; & in ipſius
Virginis cura tutelaque ſingulari,
propemodum in eius gremio ac ſi-
nu Matris educatus; tum vero, an-
te initam Societatem, fuit omni
virtute perfectus, ac pietate excul-
tiſſimus; denique ab eadem Dei-
para, ſpeciali eius ſuaſu, atque im-
pulſu, in Societatē inductus. Fuit
vterque ſpectata generis claritu-
dine, ne virtus in obſcuro lateret,
verum eo nataliū ſplendore redde-
retur illuſtrior. Beatus Staniſlaus
Koſcka, è Maſſouia Poloniꝗ Pro-
uincia, natus ampliſſimis, Ordinis
Senatorij, parētibus. Cum annum
ageret tertium decimum, Viēnam
ſtudiorum cauſa miſſus, iam tum
puer Deiparam omni cultu atque
obſeruantia religioſe proſequeba-
tur.

tur, numquam Roſarium de manibus deponebat; aut libellos certe precationum, & laudum Virginis tractabat, quin & in ipſis ſcholarũ exercitationibus, hoc vnũ maxime illi erat propoſitũ virtutum ac laudum Deiparæ Virginis argumentum. Grauiter ægrotanti, & prope à medicis depoſito, adfuerunt Angeli, vna cum Sancta Barbara Virgine & Martyre, quæ & illi ſingularis erat patrona, ſacramque Eucharistiam quam ardentiſſimis votis expetierat, impartierunt; tũ vero mox interuenit, & ſpectandam illi ſe diu obtulit Cæli Regina Dei Mater, paruulum filiũ ſinu geſtãs, blandiſſimeque clientem ſuum ſolata, quo cæleſtis illum ſuauitatis vberiore copia perfunderet, ipſum in lectulo eius infantẽ Ieſum collocauit, auxitque beneficium reſtituta corporis ſanitate: diſerteque diſcedens admonuit, vt in Societa-

tem.

tē Ieſu quamprimū ingrederetur; quod ille non diu poſt admirabili conſtantia, ac virtute perfecit. Ac primū Dilingā, ad eum qui Germaniæ tum præerat P. Petrū Caniſiū pedes, adoleſcēs tenellus, & delicatus eſt profectus, inibiq; famulum ſeminarij Alumnorū agere eū non puduit, nec piguit: tum denique Romam, eodem itinere pedeſtri contendit, emenſiſque ducentis & amplius milliaribus, innumeriſque alijs difficultatibus exhauſtis aliquando voti compos effectus eſt. Admiſſus ad Diui Andreæ, in tyrocinium, ac communem vitæ cum noſtris Societatem, quas par erat Patronæ ſuæ Deiparæ, Saluatorique filio gratias egit; tum vero pietatis auxit ſtudium, & impenſiore cultu Deiparam eſt proſecutus; animumque filij prorſus induit, vt eam in omni ſermone ma-

trem appellare non dubitaret; tantoque cum animi ſenſu, ac guſtu, id agebat, vt qui adeſſent omnes, atque audirent, eadem illa cæleſti ſuauitate reſpergerentur. Cum nũquam non de ea cogitaret, ac loqueretur, nouaque ſemper honorifica ac magnifica, quibus eius honor adaugeretur, excogitaret vocabula; ac ſublimiori ſemper eam indignitatis ac Maieſtatis gradu collocaret; tamen angebatur animo, ac permoleſte ferebat, quam mente conceperat virginis præſtãtiã, verbis exæquare ſe non poſſe, ſed immenſa quadam eius celſitate velut oppreſſum cõticeſcere debere. Ad angelicam ſalutationem, ceteraſque precationes, quæ Virginis laudes continent, ſic afficiebatur, vt nec à lacrymis temperare, nec animi ſẽſum occultare poſſet, quin inuſitata proderet totius oris hilaritate. Quam ſummopere exop-

exoptarat, quãque prædixerat obitus ſui diẽ, Aſſumptionis Deiparæ peruigilio dicatum, cum ageret ætatis annum 19, Societatis initę decimum menſem, feliciſſime eſt cõſequtus; tam leui prægreſſo morbo, vt de Medicorum ſententia, mors præter naturæ curſum tum euenerit. Ea ipſa ſuprema nocte, tum ſacras Crucifixi plagas, ſummo cum animi ſenſu fuerat exoſculatus, tum Deiparæ Imaginem qua viuens vtebatur plurimum, arctiſſime complexus, & amantiſſime ſuauiatus fuerat; ipſe autem in agone, dextra Roſarium, cum piacularibus granis, ſiniſtra cereum ardentem ſuſtinebat, ingeminanſq; ſanctiſſima Ieſu & Mariæ vocabula piam efflauit animam, quam pręſens gremio ſuo exciperet B. Mater, ac cæleſti inferret domicilio. Felicem animã, felicemque mortem, tam eximio dignam cliente

Vir-

Virginis B. Aloyſius Gonzaga, è Ducum Mantuanorum proſapia, Marchionis Caſtillonæ primus natu filius, & hæres, miraculo ac beneficio Virginis in lucē editus eſt; cum enim ex partu periclitaretur, & vna cū fętu mox moritura crederetur eius Mater clariſſima fæmina gētis Rouereę, votū ad ędem Lauretanā, ſiſtendi ſe, & filiolum de mariti volūtate concepit, & fæliciter enixa eſt, ſed infantē Medici viuere poſſe negabant; vixit tamen Deiparæ beneficio, & virilis ætatis limen attigit: vixit Virginis cliens, tam incenſo in eam à prima pueritia pietatis affectu, vt vel eius audito ſolo vocabulo, totus interna dulcedine colliqueſceret. Anno ætatis decimo, in eius, quam ſumme amabat, & aliqua in re cupiebat imitari (iam enim tum intelligebat, eam eſſe præcipuam partem Deiparæ cul-

tus,

tus imitationem) in ſanctiſſimæ, inquam , Matris honorem, votum perpetuæ virginitatis rite nũcupauit, coram celeberrima Virginis Annuntiatæ, quę Florentiæ ſumma populi frequentia colitur, Imagine; ac tam præſtanti dono caſtitatis à ſanctiſſima Virgine fuit ornatus, vt nullum in omni vita libidinis motum , nullam titillationem carnis, ne ſuggeſtionem quidem prauam ſenſerit, quod haberi debet inſtar pręſtantis miraculi, idque omnium eius confeſſariorum exploratum habetur teſtimonio . Mediolani cum eſſet, crebro Beatiſſimæ Virginis ad Sanctum Celſum miraculis illuſtre Templum , eodem illo pietatis ardenti ſtudio , frequentabat . Sed quod nunc agimus , in Hiſpania , Philippi tertij puer honorarius , Madriti, annum agebat ætatis decimum quin-

quintum, de certo ineundo vitæ ſtatu, quæ omnium maxime implexa eſt & ſummi momenti deliberatione ſuſcepta, ſtatuit in eum finem aliquo feſto die ſanctiſſimæ Dei Matris, per eam ipſam mediatricem, ſummo feruore pietatis, & omni contentione ſpiritalium exercitiorum quod eſſet diuini Numinis beneplacitum exquirere; Cumque proximus eſſet eius in cęlis aſſumptæ ſacer dies, multis adhibitis precibus, pęnitentijſq; pręmiſſis, ad ſacram adijt Euchariſtiā, qua ſumpta, cum apud ſe precaretur attentius, vt per Virginem Matrem Deus illi ſuam aperiret volũtatem, quod potiſſimum vitæ genus atque inſtitutum ſequeretur, ecce clara, & diſtincta vox illi accidit, vt Societatem Ieſu, ſi Deo Virginique gratus eſſe vellet, ingrederetur. Annus erat 1583, bienniumque & amplius in obtinendo

Mar-

Marchionis parentis aſſenſu, plurimiſque alijs difficultatibus exhauriendis poſuit. Demum abdicato Principatu, omniqueſpe ſeculari, Societatem ingreſſus, quinquennium in ea ſanctiſſime vixit, puriſſimamque animam Virginis Matris excipiendam manibus atque inter Angelicos beatorum ſpirituum choros reponendam emiſit, cum ageret ætatis annum quartum & vigeſimum, & ipſe in paucis explens tempora multa, maturitate morum ſenectutem antegreſſus. Sic igitur ad Societatem vterque Beatus hic Adoleſcens Virginis Dei Matris hortatu atque impulſu ſe contulit, ad eamque partam iã ante vitę ſanctitatem, innocentiãque Virginalem attulit potius, quã ex noſtræ diſciplinæ legibus atque inſtitutis hauſerit: quamquam inde non mediocria ſumpſerit incrementa, ſeque ipſam ad exitum cõmo-

1585. 25. Nouem. 1591. 21 Iunij.

Digitized by Google

modiſſime ſit tutata; cum perbreui ſpatio vitæ religioſæ, perfectionis vterque curriculum abſoluerit, metamque attigerit, egregijs virtutum omnium, quæ noſtro cõgruant inſtituto, ad imitandũ poſteritati relictis. Ex quo haud obſcure videor conficere vtrumque ſingulari munere, ac dono Societati Ieſu datum, ac conceſſum à ſãctiſſima Dei Matre, vt qua plurimum ſemper abundamus, præſtãs ac ſelecta Iuuentus, tum in Tyrocinijs noſtris, tum in litterarum ac ſtudiorum Gymnaſijs, illorum ad omne virtutis ſtudium & incitaretur exemplis, & apud Deum Beatãque Matrem præſidijs muniretur. Non modo virginitatem, vterque coluit illibatam, puritatiſque fuit Angelicæ, & corporis & mentis munditiæ; ſed ipſam primæuam innocentiam, puramque Baptiſmi fonte ſuſceptam gratiæ ſtolam, ex

hac

hac mortali extulit vita, tum, vti dixi, virtutum omnium, quas inſtitutorum noſtrorum rationes exquirant adeptæque tam breui interuallo perfectionis eximio ſplẽdore præluxit. Quare Deo imprimis Optimo Maximo, Chriſtoque Saluatori, tum Beatiſſimæ quoque Virgini Matri, ab hominibus Societatis agendæ ſunt, & habẽdæ gratiæ immortales; quod ijs innocentiæ ac ſanctimoniæ luminibus clariſſimis ordinem noſtrum illuſtrare voluerit.

CAPVT X.

De Alphonſi Roderiquez aduerſus Sanctiſsimam Virginem Dei Matrẽ pietate.

CVM Societas noſtra, non profeſſis modo conſtet, & Scholaſticis qui ad profeſſionem comparantur, ſed & coadiutores ſibi

adſciuerit tũ ſpiritales in ſacramẽ-rum adminiſtratione, & piorum o-perum exercitatione, tum tempo-rales in rei domeſticæ, ac familia-ris procuratione; horum ſane ſors fortunatiſſima cenſeri debet, quod ab omnibus exempti periculis, & implexis liberi curis, vnius ſuę per-fectionis ſtudio teneantur, ad quã perfacile, ſine vllo decurrere poſ-ſint obice. Quod mireris, cum ad Marthæ vocati ſint ſortem, multi-plicemque actionem, nulli tamen fere commodius altiſſime Mariæ contemplationi vacare poſſunt, perpetuũque cum Deo, B. Matre, cælitibus vſum intimę conſuetu-dinis obtinere: ſi ſe cõtentius pau-lo dediderint orationi. Nam do-meſtica, quæ tractant, munera, ni-hil officiunt, quominus mens aſſi-due in Deum præſentem fera-tur, eiuſque ſuauiſſima ſe paſcat at-que oblectet recordatione. Recte

admo-

Digitized by Google

admodum cum ea, quæ corporis magis quam animi viribus exercetur actione, iungitur cõtemplatio, & interrupta mentis in Deum cõtentio ſociatur. Accedit, quod pręclaras habeant, ac crebras præcipuarum primarumque virtutum, Charitatis, & Humilitatis, exercendarum oportunitates, quæ vero præſtant obſequia, Dei famulis ex Societate Ieſu, Deo charis, viuis eius Imaginibus, ſacramentorum adminiſtris, magno ſane pietatis ſenſu, poſſunt ac debent exequi; Sed enim ne deeſſet illis eximium omnis virtutis ac ſanctitatis exemplum, Alphonſus Rodeřiquez ſtudioſiſſimus ſanctiſſimæ Deiparentis cliens ab ea videtur Societati procuratus, cum ad eam miraculo feratur vocatus & aggregatus. Vixit in Balearibus Inſulis, compluribus à Deo miraculis illuſtratus, quæ cum eius vita

ctiſſima breui dabuntur in vulgus & in multorum qui cum eo vixerunt recenti ſuauiſſimaque memoria versãtur: etenim admodum nuper obijt peruigilio Sanctorum omnium anno 1617. Cum Latinis litteris tinctus eſſet, imo bienniũ expleſſet in Rhetoricis, tamen in domeſticæ rei adminiſtros Coadiutores referri voluit, egitque Maioricę Ianitorem ipſos 47 annos, Attigit autem ętatis 87.

Magna illi cum beatis Angelis, Sanctiſque omnibus, conſuetudo, ac familiaritas, è quibus viginti quatuor ſpeciali cultu ſibi proſequendos delegerat, quos in horas diei noctiſque viginti quatuor, erat partitus, vt ſingulis implorandis horam ſuam attribueret, cumque Sanctiſſimam Reginam B. Matrẽ vna ſalutabat, atque ei ſe commẽdabat impenſius. Neque fiebat vnquam, quin tametſi ſe quieti, ac

ſomno

ſomno tradidiſſet, tamen excitaretur ad hoc Sanctiſſimæ Matri, Beatiſque Patronis' ſalutationis officium exhibendum; idque ipſum ritu conſimili peragebat, quoties nouum aliquod opus aggrederetur. Voluit Deus hoc eius inſigne precandi, ſanctoſque ſalutãdi munus, hac etiam in vita remunerari; nam cum eum ſpiritu in cæleſte domicilium tranſtuliſſet, omnium ei beatorum gloriam commõſtrauit, omniumque ſpeciatim merita, vocabula, priuilegia, ceteraſque particulares notas ſic aperuit, quaſi cum eis in omni vita verſatus foret familiariſſime. A primis annis initę Societatis, addictiſſimus fuit cultui D. Matris, tenerrimo quodam ac ſuauiſſimo aduerſus eam affectu ductus, à qua viciſſim pluribus in dies donis, ſpiritalibuſque ſolatijs cumulabatur, quibus in delitijs ſpiritus, quadam die, illius a-

more vehementer incenſus, in has voces erupit, o Domina, ego te impēſius longe quam meipſum amo, te amplius diligo Mater mea, quā tu me diligas; verum clementiſſima Mater ſuperari ſe paſſa non eſt, cumque ſeſe illi viſēdam præbuiſſet, affectu materno, ait, non ita eſt vt ſentis, mi Alphonſe, ſed ego te impenſius amo, quam tu me diligas. O ſuaue certamen amoris, in quo & vinci & vincere ſit ęque optabile, ac glorioſum; ſed vincat oportet, quæ plus in amando poteſt, cuius non modo tenerior, ſed efficatior ac fructuoſior exiſtit Amor. Induerat aduerſus eam Alphonſus affectum animumque filij, ac quaſi cum amantiſſima matre tractabat obſeruanter, & amice, mixta reuerentiæ confidentia; eademque familiaritas amoris ac reuerētiæ plena, cum Chriſto Domino Saluatore illi intercedebat. Beatiſſimam Vir-

Virginem, & Chriſtum Saluatorem Matris ac Patris ſibi ducebat loco, nec raro illi aderant aſpectu etiam & ſpecie viſibili; cumque, pro munere Ianitoris, obiret domum, illi ſe comites adiungebant. Numquam de eis ſermonem habebat, quin audientes omnes eximio quodam ſenſu ac guſtu deuotionis perfunderet, & in ſuauiſſimam raperet admirationem. Hortabatur porro, exuerent ſe omni rerum creatarum amore, ſuique ipſorum cura totos ſe obſequio traderent dulciſſimorum amorum; ſic enim appellare cõſueuerat, Ieſũ & Mariã, quibus cordi ac curæ eſſent vtilitates noſtræ ſpirituales, atque corporeę. A quadraginta & amplius annis ante obitum, Immaculatæ Conceptionis Deiparę, quod myſterium præ ceteris præcipue celebrabat, altiuſque præcordijs impreſsũ gerebat; pie quo-

tidie recitabat vetus quoddam abs ſe repertum officium. Id vero ſibi vehementer gratum indicauit Clementiſſima Dei Mater, nam cum die quadam à cibo ſumpto gratias ageret Deo, coram Sacratiſſima Virgine Matre, ac pro veteri more ſuo in eius ſe cōſpectu Matris ſuę, ſumma animi dimiſſione ac reuerentia ſiſteret, ſupplexque adoraret; adfuit illi ſpecie corporali, iuſſitque vti ad ſuam filijque ſui gloriam, quæ ſoleret eius honori quotidie deuotionis obſequia perſoluere, ſcripto comprehenderet, ad poſteritatis memoriam; ſibi illa vehementer eſſe accepta; cumq; prę humilitate ac modeſtia refugeret Alphonſus, tanti ea non eſſe reputans; confirmauit illum, iteratoq; iuſſit ſanctiſſima Mater, ea ſcriptis mandaret poſterorum memoriæ. Sunt autem hæc: Corona, quam nullo non die maximo ſenſu ac guſtu

ſtu pluries decurrebat, adeo vt ab obitu digiti callum obduxiſſe, ac prope detriti ſint reperti; Litaniæ Lauretanæ, quas pridem memoriæ commẽdarat; officium Immaculatæ ac Puriſſimæ Conceptionis quod de memoria quoque recitabat, tum duodecies repetita Antiphona *Salue Regina*, item duodecies Angelica ſalutatio, quas preces ad ſingulas diei noctiſque viginti quatuor referebat horas, in eiuſdem intemeratę Conceptionis honorem, vt eũ ſanctiſſima virgo, ab omni culpa conſeruare vellet immunem. Ad hoc Immaculatæ Conceptionis officium quotidie, Virginis honori, perſoluendum, noſtros ardentiſsime cohortabatur, aiebatque, hanc vnam inter ceteras eſſe causã, inſtitutæ Societatis à Deo per B. Ignatium, vt immaculatam conceptionem Deiparæ, omni cum doctrinæ, tum elo-

Digitized by Google

quentiæ copia tueretur, & quo diffuſa eſt orbe toto diſſeminaret, atque euulgaret; atque hoc tanto animi confirmabat ardore, tanta ſpiritus diuini vehementia, vt nihil vnquam pari pronuntiarit affectu: Neque de ſuo id ſe promere, & aſſeuerare, aut eſſe id à ſe excogitatum, ſed hauſtum de cælo, à Beatiſsima Matre ſe id accepiſſe, & didiciſſe. Cum per omnem vitam plurimis acerbiſsimiſque fuiſſet exercitus corporis morbis, atque doloribus, Demonum quoq; ſęuis impugnationibus, nō raro probatus, ac pulſatus; ad extremum diriſsimus acceſsit calculi cruciatus, pręter ardentem interruptamque febrim, qua tamen in ægritudine nullum ſibi ſolatium ac fomentum adhiberi cupiebat, inquiens delitias corporis ſibi pœnarum eſſe loco, & pænas, delitiarū. Si quod ei ſpatium ab aliorum cō-

greſ-

greſſibus vacuum permitteretur, tum ſuauiſſimo ac tenerrimo mẽtis affectu, cum optimis ſuę ſalutis ac vitę parentibus Ieſu & Maria verſabatur, cum eis ſermocinabatur & delitiabatur; Patrẽ Ieſũ, Matrẽ Mariã itentidẽ inclamans, eaque verborum formula, quam ab ipſo Chriſto Domino fuerat edoctus, repetita crebrius vtebatur: Ieſus Maria, mei dulciſſimi Amores, patiar ego, moriar ego amore veſtri. Totus ſim veſter, nullus meus. Rogatus ab infirmario cum vix eloqui iam poſſet, quid haberet; reſpõdit intermortua voce, Multum amoris proprij; ſummus tamen oſor ſui, qui in eo ſuimet odio numquam ſibi faciebat ſatis, totus in amores ſuos incenſiſſimo traductus affectu. Quod illi promiſerat Deus, ante mortem non vulgare genus ſolatij cæleſtis, id egregie prę̃ſtitit; Nã triduo an-

te in diuinam mentis ecſtaſin abreptus, cuiuſmodi & alias viuens non raro patiebatur, oculis clauſis, continenter in ea triduum iſtud totum perſeuerauit; vultu adeo ſplẽdenti, & Angelico, vt cũ antea pallidus foret & exſanguis, tum gratiſſimo rubore ſuffuſus, in genas ac faciem erumpente flamma diuini amoris, qua illi pectus ardebat, adſtantes omnes in ſtuporem raperet. Intermortuis ſubinde vocibus repetebat, Ah Ieſu dulciſſime; O Mater mea, vt beatifico eum vtriuſque parentis ſui conſpectu perfrui non dubitares. Tandem cum nonnulla dediſſet imminẽtis mortis indicia, quos toto triduo clauſos habuerat oculos reſerauit, longe lucidiores & amœniores, quam fuiſſent vnquam valenti, eoſque in oblatum attente defixit Crucifixum, adoratiſque eius ſacris pedibus, ac maxima dulcedine diſſuauia-

uiatis, ſalutare Ieſu vocabulum efferendo, ſanctam efflauit animã, amoribus ſuis caſtiſſimis æternũ ſociandam, circumſtante Patrum ac Fratrum corona, peruigilio ſanctorum omniũ 1617. Hic fuit cliẽtis Deiparæ innocentiſſime traductæ vitæ conſentaneus exitus; hæc vita morſque ſanctiſſima, non modo Coadiutoribus, verũ & Sacerdotibus omnibuſque noſtris æmulanda. Beati qui in Societate Ieſu moriuntur. Nam vt vnam de eis addam diuinis reuelationibus, Anno ſeculi 1599 cum ingreſſus eſſet conclaue refectorij, Alphonſus, vidit omnes noſtros habitu ac vultu Angelico micantes; cumque admirans apud ſe tacitus ex Deo percunctaretur, quid id eſſet rei, diuino reſponſo doctus eſt, eam eſſe gratiã religioſæ vocationis ac Societatis Ieſu præſtantiam, ſimulq; intellexit omnes qui tum eſſent

adſcripti

adſcripti Societati, ſi modo in ea perſeuerarēt ad æternā gloriam eſſe prędeſtinatos. Ergo iterum, iterumque beati qui in Societate Ieſu moriuntur, in cæleſtem Ieſu Societatem ac gloriam diuino eius munere transferendi.

CAPVT XI.

De exemplis vitæ Religioſę datis à Deipara Societati Ieſu.

QVIBVS tum ad Deiparæ cultum, tum ad religioſę obſeruātiam diſciplinæ prouocemur exemplis, aliunde cōquiſitis magnopere opus non habemus, cum hęc eximia domi ſuppetant, & coadiutoribus quidem hic Alphonſus, tyronibus & ſcolaſticis Staniſlaus, & Aloyſius, Preſbyteris & profeſsis Ignatius, Xauerius, Faber, alijque complures tam illuſtri tramite præiuerint; præterire tamē non

non poſſumus quæ Deipara nobis impreſſa reliquit religioſæ vitæ veſtigia magno mentis ardore conſectanda.

Eſt qui ſui Ordinis Religioſi primordia referat ad Eliam Teſbitem in monte Carmelo, in eumque accenſeat filios prophetarum, ſeiunctam ab hominum communi cõſuetudine vitam agentes, cuiuſmodi Religioſorum quoque prætulerunt vmbram Recabitæ & Eſſęi. Mihi prima domus Societatis Ieſu videri ſolet tum Bethleẽ domus panis, auguſtiſsimo Saluatoris hominum conſecrata natali, tũ Nazarena, nunc Lauretana, in qua *Verbũ caro factũ eſt*, Dei filius è Virgine tenui deſpõſa fabro virginitatẽ profeſſa, Dei iuſsis ac mandatis per Archangelum obtẽperãte, S. Spiritus illapſu conceptus, & maximam vitæ mortalis partem eſt enutritus. Primi è Societate Ieſu,

Ieſus

Ieſus ipſe, ſanctiſsima eius Mater Maria, Ioſeph cuſtos Virginis, nutritiuſque Saluatoris. Prima hæc familia Societatis Ieſu, ſiue domus profeſſa, ſiue tyrocinij, ac probationis, ſeu Collegium ac Gymnaſium omnis virtutis, perfectioniſque cenſeatur. Primi Duces, & auctores noſtri Ieſus, Maria, Ioſeph, Deo deuotas paupertatis, caſtitatis & obediẽtiæ primitias dedicauere. Hic illud mixtum vitę genus quod ſequimur ex cõtẽplatione & actione contẽperatũ; hic inſtitutorum noſtrorũ omniſque religioſæ noſtræ profeſsionis origines ac fontes, hic nouitijs æque ac profeſſis, Euãgelij prͤconibus, & rerum temporaliũ adminiſtris, Deus infans, puer, adoleſcens, iuuenis, omni ætati, atque ordini, tum qui eius proxime ſacris inhærent veſtigijs, Deipara Virgo, & S. Ioſeph exemplo prægrediuntur, ac prælucent. Qui quidem

dem Ioſeph, etſi vitæ ſanctitate ac merito inferior, tamen huius familiæ domuſque Societatis Ieſu, primus à Deo Patre conſtitutus eſt Rector, atque Prępoſitus; cui tanquam Dei vices in terris gerenti, obedientiam omnem deferũt Dei Mater, & Deus infans. Sane eius obedientiæ quam Societatis noſtræ teſſeram propriamque notam vult eſſe B. Pater Ignatius, exempla hic ſunt ac documenta perquã illuſtria. Cũ puero à Regibus Magis adorato furor Herodis immineret, & maturâ fugâ ac ſeceſſione tyrannus eſſet deuitandus; *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens, ſurge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi vſque dum dicam tibi.* Superioribus, ad quos pertinet, ſemper ſe numen diuinum indicat, atque aperit, quod in rebus dubijs facto ſit opus. Nulla fuit in Ioſepho obtem-

Matt. 2. 13.

tem-

temperandi mora, ſed non ille promptius Angelo, quam ipſi Ioſepho, Diua Mater, & Deus infans obedierunt: nulla prorſus in parendo cunctatio, nulla de fugæ loco, vel tempore diſquiſitio. Iterum cum ex Ægypto reuertendũ foret, eadem, Angelo commonente, fuit obtemperandi facilitas ac prompta deuotio; cumque reuerſus ambigeret Ioſeph in opidone Bethleem natali, an in Nazareth educandus eſſet puer Ieſus, id ipſe pro ſua prudentia, & auctoritate conſulto prius Deo, & in ſomnis admonitus definijt; neque tum aut Virgini Matri, aut puero Ieſu repugnare venit in mẽtẽ, hilaris, prõptæ, deuotę perſeuerantiſque obedientiæ ſingulari nobis exẽplo relicto. Quã eandẽ obedientiã, in reliqua omni rei domeſticæ adminiſtratione, Ioſeph tanquam Patri familias, Rectori, ac Præpoſito ſibi

diui-

diuinitus præſtituto, detulerunt. Itaque cum & puer duodēnis clam parentibus in templo Hieroſolymis remanſiſſet, poſtque ab eis eſſet requiſitus, & repertus, benignè Mater expoſtulans, *Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te;* Luc. 2. Ioſeph ſibi præponit honoris cauſa, patremq; nominat hominum opinione, affinitatis iure, ſuaque & filij qui eum Matris ſponſum, nutritium ſuum elegerat, volũtate. Ac tametſi Saluator alterius ſibi cæleſtis Patris negotia tractanda reſpondiſſet, nihilominus deſcendit cum illis in Nazareth, & dum maturum Euãgelij prędicandi tempus aduenire, erat ſubditus illis. Si quærat quiſpiam, quid priuatos intra parietes tot annorum interuallo Deus homo peregerit, id vnum reſponſi dat Euangeliſta, *Et erat ſubditus illis*. Luc. 2. Tantæ molis erat obe-

obedientiã mortales edocere: compendioſius autem exemplo quam verbo docetur. Subditus illis, obediẽtiam profeſſus ſanctiſsimæ matri, & eius cauſa, Ioſepho nutritio ſuo, ad annum vſque trigeſimum, aut quamdiu Ioſephus ſuperſtes fuit, tamdiu primæ huius familiæ Societatiſque Ieſu, curam ac prælaturam geſsit, admirandus dono contemplationis celſiſsimæ, ſilentijque tenaciſsimus, ceterum maxime impiger & ſedulus; cuiuſmodi homines eſſe noſtros, ac ſuperiores precipue, foret optabile. De Caſtitate, atque illibata Virginitate, quid attinet dicere! Cum Deus è cælo lapſus in terras Angelicam ſibi familiam delegerit, & in hiſce Virginum Principibus, Maria Matre, & S. Ioſepho nutritio, virginitatem, exemplo ſuæ ſponſę, profeſſo, conſecrarit. Qui quidem duo terreſtres Angeli, velut Cherubini

rubini obuerſis in propitiatorium vultibus, Deum hominem factum continenter adorabant, altiſſima defixi mẽtis ecſtaſi, ſuũq; illud anguſtum in Nazareth domicilium, aut Bethleemiticum ſtabulum terreſtre quoddam cælum efficiebãt. Verſabatur tum ſane Dei filius animarum caſtarum ſponſus, inter lilia, quæ diuinum pudicitiæ ac caſtimonię latiſſime ſpirarent odorem, ad eius aliquando mortales ſanctiſſimis amoribus inflammandos. Tum illud quoque maxime conueniebat Incarnatæ ſapientiæ, *Delitię meæ eſſe cum filÿs hominum.* Paupertas ipſa ſe prodit in ſtabulo, *Prou. 8.* in præſepio, in panniculis, in quæſtuaria vita S. Ioſephi, & Beatiſſimæ virginis matris textrinam exercentis. Quamquam è Regia Dauidis orti ſtirpe, tamen inopem vitam agebãt, aſſiduo ſibi labore victum parantes quotidianum, & in ſumma

ma prope mendicitate verſabãtur. Nec erubuit Dei filius, qui cum diues eſſet propter nos egenus factus eſt, fabri filius, & faber audire, artemque ipſam exercere fabrilem, ad tenuitatem ſuorum ſuomet labore ſubleuandam: qua de re Baſilius, Neque enim otio tempus terebat, nec exterior cura & occupatio, mentis agitationi atque altiſſimæ officiebat contemplationi. Cũ vero ſe hominem, hominum cauſa factum meminiſſet, etiam tum ſibi demandatum à Patre noſtræ ſalutis opus ac redemptionis exequeretur, durius tractaſſe corpuſculũ ſuum, cilicio, flagriſque ſubinde afflixiſſe, ieiunijs certe vigilijſque, & in orando pernoctationibus, quas nec in ipſa Euangelij prædicatione intermittebat, humi cubatione, alijſque macerationibus exuberãtis noſtræ redemptionis tamen adauxiſſe cumulum, ſi quis

Conſtit. monaſt. c. 5.

quis aſſerat, nihil indecẽs nec incre-
dibile dictur ũ non vulgaris auctor *Suarez tom. 2. diſp. 28 ſec. 3.*
aſſeuerat. Quãquã nõ decebat il-
lum auſterius vitæ genus, quo ſua
facilitate ac lenitate mortales ſibi
cõciliaret, atque attraheret; noſtra
tamẽ deploraſſe peccata frequẽti⁹,
ac futuræ ſuæ paſſionis ac mortis
obiectu, vt habebat in poteſtate
ſuas omnes animi motiones, mæ-
ſtitiã, pauorẽ, & horrorẽ, ſpõte cõ-
citaſſe, non eſt abſimile vero, vt illũ
animæ ſtatũ quẽ apud Ioannẽ ex- *Ioan. 12. 17.*
primit de ſua paſſione diſſerẽs: *Nũc
anima mea turbata eſt*, &c. ſępius in a-
doleſcẽtia atque omni vita ſponte
ſuſceperit; *Pauper sũ ego & in labori-* *Pſal. 87.*
bus à iuuentute mea, ait apud Prophe-
tã, *Exaltatus ſum & humiliatus; In me
tranſierunt iræ tuæ*. Quæ domeſtica
exempla ac documenta nõ latebãt
attẽtiſſimã eius parentẽ, quæ om-
nia cõſeruabat in corde ſuo, vti nec
S. Ioſeph cõtẽplationi deditiſſimũ.
Ha-

Habemus igitur vitæ Religioſę ſcholam; habemus præſtantiſsimum editorum à nobis votorum, & earum quæ vota comitãtur virtutum, Doctorem ac Magiſtrum Dei filium, Deum hominem, Ieſum. Habemus eiuſdem ſectatores diſciplinæ, Virginem intemeratã, & S. Ioſephum, qui hoc Magiſtro, hac ſchola virtutum, quantos quotidie progreſſus habuerint, quis æſtimet? Hæc prima Societas Ieſu, ad cuius normã ſeſe poſteritas omnis componere, è quo fonte ſpiritum haurire, quorumque veſtigijs longo licet poſt interuallo ad perfectionis culmen eniti debet. Hæ nobis ędes ſacræ ac religioſæ Bethleemiticæ, & Nazarenæ aſſiduo ſunt meditationis vſu frequentandæ; hic inſtitutorum noſtrorum rationes edocebimur, quæ forma ſit ordinis domeſtici, quæ precandi ac meditanti ſpatia definita, quæ tum

tum mentis adhibenda contentio, quæ cibi ſomnique moderatio, quę taciturnitatis, ac ſacri ſilentij ſeruanda regula, quæ caſtigatio corporis, & pœnitentiæ aſperitas ad animarum ſalutem vltro ſuſcipienda. Breuiter, omnes diſcemus virtutes, Chriſto magiſtro, ac præeũte, condiſcipulis eadem mox arripientibus atque exprimentibus exempla, ſanctiſſima virgine ac B. Ioſepho, qui non fabricãdi magis quã contemplandi callebat artem. Cõſueuerat Caniſius ſupremo vitæ tempore, ad tyrones Lanſpergenſes, quotannis loco ſtrenæ piorum aliquid monitorum præſcribere; interque alia illud pulcherrimum impenſe commendabat, vt omnes qui Societati dant nomen, maximeque docti & in rebus agendis exercitati, ad exemplum ſibi proponant puerum Ieſum, & obediẽtiam promptiſſimam, & ſapientiſ-

ſimam ſimplicitatem, quam tenera illa in ætate præſtitit, imitari omni ope ſtuderent. In quo cum iam à primo matris conceptu theſauri omnes fuiſſent ſcientiæ & ſapientiæ Dei, tamen ad decorum ætatis ſe accomodans, nec emanare ſinẽs illam lucem, ſubditus & obſequẽtiſſimus Ioſepho & Virgini Matri erat, & quãuis haud dubie meliores ipſe rerum efficiendarum vias, quã quo interdum modo imperabãtur noſſet, nihilominus aliena placita obedienter & ſimpliciter ſequebatur. Quam obedientiæ formam haud magnificentius verbo proponebat Iuuenibus Caniſius, quam exequebatur ſenior factus. Dicat aliquis Religioſum ſtatũ non harum modo virtutum vſum efflagitare, ſed præcipue vt tres illæ principes, Paupertas, Caſtitas Obedientia voto nuncupato firmentur, & in omnem deinceps vitam ſtabilian-

biliantur. Verum neque hanc votorum firmitudinem ac perfectionem huic primæ Ieſu Societati defuiſſe conijci poteſt, quod earum virtutum omnibus expleta numeris effigies hic eluxerit, & quę cogitari poteſt abſolutiſſima perfectio ab interiore S. Spiritus inſtinctu promanans. At nemo neſcit plurimum accedere perfectionis ad eas virtutes, ſi voto confirmentur; cum, vt inquiunt Theologi, votum ſit conſilium conſiliorum, forma & perfectio eorũ; ac quoduis opus editum ex voto longe euadat ex hoc ipſo capite perfectius, quando non fructus modo & virtutis functio, ſed ipſa radix, arbor, ac voluntas Deo conſecratur. De virginitatis voto quin illud Virgo Mater ediderit, ambigi non poteſt, ex eius ad archangelum reſponſo; *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* quod profecto non di- *De ſanctitate Virgin. cap. 4.*

ceret, niſi prius Deo ſe Virginem vouiſſet, inquit Auguſtinus, quodque eius exemplo S. Ioſephũ nuncupaſſe creditur. Quod igitur de hoc voto virginitatis ad alia quoque transferri poteſt, eorum quidem abſolutã perfectionẽ à Chriſto Domino initium ſumere oportuiſſe, vtpote qui eſt finis legis, & in quo eſt gratiæ plenitudo; pendet autem ab Euangelica gratia conſiliorum obſeruatio, tamen eorum inchoationem aliquam in Sanctiſſima Virgine præceſſiſſe. Denique, ſi Apoſtolos idem S. Thomas, alijque Theologi conſtanter aſſeuerant, hæc vota nuncupaſſe, ex illis Apoſtolorũ Principis verbis: *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te*, omnia, etiam vxores vti Hieronymus aduertit. Secuti ſumus te, ad obedientię tuæ præſcriptum vitam exacturi, quod item ex eodem Apoſtoli dicto confirmat S. Auguſti-

..Thom 3.p.q.28. arti. 1.

2. 2. q. 88. a.4. ad 3. Aluarus Pelagius de planctu Eccleſiæ. 56.

Mat. 19

1. in Iouinia.

guſtinus, cur de Apoſtolorum magiſtra, eaque ſanctiſſima familia, quam & ſpiritus ſanctus interiore luce atque omni gratiarũ inſtruebat copia, & ſaluator exemplis ſuis ac monitis, ipſaque vitæ ſuæ conſuetudine ad omnem informabat apicem perfectionis, ambigamus? An non & ipſa Chriſto filio profiteri potuit, cum S. Ioſepho ſi tum in viuis fuit; *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te.* Cum eo certe vbi primum Euãgelicam prædicationẽ adorſus eſt, è Nazareth in Capharnaũ tranſtulit domicilium, & à ſingulari quodam obſequendi ſtudio profectum erat illud eiuſdem ad nuptiarum miniſtros in Cana Gallileæ monitum, *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Denique à Chriſti Saluatoris in cęlos aſcenſu, cum id eſſent fideles, quod modo nituntur eſſe monachi; cum nemo quicquam ſuum

17. de ciuit. c. 4.

Mat. 19.

Ioan. 2.

 eſſe

eſſe diceret, ſed collatis ad Apoſtolorum pedes agrorũ pretijs in cõmuni vitam agerent, princeps ea creditur huius inſtituti fuiſſe, & à nonnullis traditur Hieroſolymis centum ac viginti virginum rexiſſe Collegium morum ac pietatis magiſtra; quod in præſenti non diſputo. Id abunde eſt, Societatem noſtram non Ieſu modo filij eius inſignitam nomine, ſed ad eius quoque vitæ quam cum filio Mater egit in terris imitationem ac ſimilitudinem, quoad cum diuina gratia licet, accedere quam proxime. Quare, cum ſimilitudo conciliet amorem, & in hac accurata vitæ ratione, nos ſanctiſſima Mater excellentes, ac perfectos eſſe cupiat, ad filij ſui gloriã; quidni in eius præſidio ac patrocinio plurimum ſpei reponamus, & porro nos, ad hæc eius, filijque ſectanda religioſæ vitæ veſtigia, iuuare ac prouehere per-

Digitized by Google

pergat, velut iure quodam æquiſſimo flagitemus.

CAPVT XII.

De libello exercitiorum ſpiritalium à B. Patre, Duce & Magiſtra Deipara compoſito.

MVLTÆ ſunt excellentes, fatendum id quod res eſt, & Deo bonorum authori gratiæ referendæ, Societatis Ieſu prærogatiuæ, multa in eam diuinitus collata dona, ſed neſcio an præſtantius ſit vllum, libello B. Patris exercitiorum Spiritualium, quo nata & aucta Societas, hodieque Ducis ſui Ieſu ſpiritum haurit, atque imbibit, quo ſeipſam, tum in religioſæ obſeruantia diſciplinæ promouet, tum in proximi paranda tuendaque ſalute extimulat ac tuetur. Exiguus mole libellus, ſed vberrimus vtilitate, nihilque externo

ferens apparatu magnificum, ſed internis ſenſis ac documentis abũdans, nihil quod ad orandi Deum mente, atque adeo etiam voce, meditandi, ac contemplandi pertineat artem, prætermittens; ſpirituum & inſtinctuum apprime diſcernẽdorum appoſitiſſima pręcepta continens.

Huic libello ſuum debet ortum, ac progreſſum Societas; non modo, quod eius auctor atque inſtitutor B. Ignatius eiſdem ad virtutem exercitijs informauit ipſe ſeſe, directore ſpiritu ſancto, omnemque quam nobis vitæ atque inſtitutorũ præſcripſit rationem, ex ijs hauſit; verum, vti recte monet Ribadeneira, quod primos Patres inſtituẽdæ Societatis adiutores, ac ſocios, per haſce ſpiritales exercitationes, ad rerum caducarum ſuique ipſorum deſpicientiam, Chriſtumque Ducem in perfecta vitæ ratione ſequen-

quendum, excitauit. Tum, qui poſtea ſunt conſequuti, & in Societatem iam ſtabilitam ingreſſi viri, vel doctrina, vel ingenio, vel nobilitate, vel alijs naturæ, aut fortunæ ornamẽtis inſignes, magna ex parte his exercitijs, ad hoc cõplectendum vitæ genus, adducti ſunt. Valent enim exercitia potiſſimum ad hanc de deligendo vitæ genere deliberationem, ne quod pleriſque euenit, aliquo prius certo implicemur viuendi genere, quam quod ſit rectiſſimum nobiſque accommodatiſſimum, perſpexerimus. Quãquam non minus valẽt ad conformandos mores, ſedandas ac componendas animi appetitiones, ad excitandum virtutis ac perfectionis ardens ſtudium; in eoque tuendo ac promouendo conſtantiam retinendam. Arduum plane ſit & graue onus Inſtituti religioſi, niſi vires ſufficiat interior charitatis ar-

dor,illeque ſpiritus gratiæ,quo cõ-
diuntur amara quæque, ac grauia
efficiuntur leuia; qui ſpiritus exer-
citijs paratur, augetur, & conſer-
uatur; Quare vitam,animãque So-
cietatis huic ineſſe libello, ſeu pijs
in eo prçſcriptis exercitijs, iure cõ-
tenderim, nec alia cõmodius via,
Societatem, ſuæ virtutis primęuũ
ſplendorem cõſeruare poſſe credi-
derim: quibus enim cauſis,res quę-
que gignitur, eiſdem & augetur,
& optime conſeruatur. Quæ pro-
lixius à me præfata nemo miretur.
Nam ſi libellus hic, Magiſtra Dei-
para, cum B. Ignatium primo illo
in Manteſano ſeceſſu, ac ſacræ mi-
litiæ tyrocinio erudiret, atque in-
formaret, perfectus eſſe doceatur;
neceſſe eſt vt totam ſe in B. Matris
ęre ac nominibus eſſe Societas fa-
teatur. Narrat bonus auctor Ludo-
c. 43. uicus à Põte, in vita Baltazaris Al-
uarez, cum anno 1600 noſtri ho-
mines

mines conſuetis ſeſe dedidiſſent exercitijs, fuiſſe quampiam perſonam illis familiarem, Dei ſpiritu plenã eminentis dono contemplationis ornatam, cui Chriſtus Dominus & B. Mater eximia frequenter beneuolentiæ præberent argumenta, de cuius ipſe dictorum fide nihil ambigat, cuique ob morum ac vitæ ſanctitatem cæleſtiaque lumina frequentiſſima plurimum tribuat. Hæc cum eiſdem ſeſe more noſtro cæpiſſet exercitijs excolere, quodam mane clariſſime mentis oculis, Angelum diuina vultus & oris maieſtate conſpicata eſt, maxima luce circumfuſum. Cumque vehementer obſtupefacta, & animo ſuſpenſa, quid id portenderet, apud ſe cogitans hæreret; ille Archãgelum ſe eſſe dixit Gabrielem, à ſanctiſſima Dei Matre nuntium adferre, quem prompto & grato acciperet animo. Illa magis etiam

obſtupefacta, & qua erat animi demiſſione, ſeſe ipſa colligit attentius, Angelumque rogat, pateretur antea, Deum abs ſe conſuli; quod ille cum facillime annuiſſet, quaſi eo minime præſente ad Deũ ſeſe conuertit ardentiſſima prece, ſuam ſecum indignitatem reputãs, extremamque miſeriam; tum diuinæ opem implorans miſericordiæ, vellet ab ea longiſſime ſemouere quicquid diuinę eius voluntati minus conſentaneum foret. Cũ in ea precatione temporis aliquantum poſuiſſet, interius ſibi Deum loquentem audire viſa eſt, exciperet Angeli nuntium, neque de dictis eius dubitaret, qua ratione ſolet diuinum numem ſuis in reuelationibus, vti olim in prophetijs, certitudinem exploratam adferre. Hac certitudine diuinitus animo immiſſa, genibus flexis, reuerenter excepit Archangeli dicta. Venire

nire

nire ſe, aiebat, à Regina cælorum Dei Matre, cui perquam grata & accepta eſſent quæ iam ordiretur exercitia ſpiritus; Illam maxime delectari hoc genere meditationũ, de diuinis myſterijs, & bonis per Chriſtum filium humano indultis generi; quæ meditationes intellectus ratiocinatione, & effectus cõcitatione perficerẽtur, ad eam normam quâ in Societate exercitia cõſueſſent inſtitui; pergeret porro, vti erat aggreſſa, ad Dei gloriam. Reginę cœli id fore acceptiſſimũ, quę patrona eſſet, præſes, ac fundatrix horum Societatis exercitiorũ, cum in ijs efformandis certaque methodo comprehendendis, ipſa B. Ignatium adiuuiſſet, atque inſtruxiſſet; ab ea duce & magiſtra id genus Meditationum originem duxiſſe, quin & eaſdem, illam dum viueret obire ac frequentare ſolitam, eiſque mentẽ ſuã occupauiſſe

ſemper

Digitized by Google

per, & excoluiſſe.

Hanc Grauis Auctor reuelationem, & factam aſſerit, & à ſe relatam, vt quo loco ſint à noſtris habenda exercitia conteſtatum omni foret poſteritati. Ac quamuis abeſſet ea reuelatio (cui, cur fides abrogetur, nulla eſt cauſa) haud dubijs aliunde coniecturis, Sanctiſſimam Dei Matrem B. Ignatio in his condendis exercitijs ducem ac magiſtram extitiſſe, confici poteſt. Etenim illi ſeſe clementiſſimæ parenti recens in monte Serrato conſecrarat, eiuſque auſpicijs ac præſidijs hoc vitę ſpiritalis tyrociniũ iniecerat, prima velut virtutis elementa tractabat, ac rudimenta, cũ homo militaris, literarum expers, nullo docente, ex ijs quæ ſuo ipſe vſu, & quotidiana obſeruatione notarat, quæq; Deo accipiebat inſpirante, libellum hunc ſalutarem compoſuit, & artem orandi Deum mente

mente confecit. Haud igitur dubitandum, quin, quam totius ſuæ vitæ patronam delegerat, cui ſe quotidiana prece commendabat impenſius, in hiſce eandem Exercitijs ducem ac magiſtrã ſit aſſequutus. Deinde terna illa colloquia, quibus plurimæ ex eius præſcripto contemplationes clauduntur, vnũ ad ſacratiſſimam Dei Matrem, alterum ad Chriſtũ Dominum Saluatorem, denique tertium ad æternum Patrem, qua maxime graderetur via, quibus quaſi gradibus ad diuini Numinis Maieſtatem adiret, Virginemque Matrem primam ſemper mediatricem, atque adiutricem ſingularis apud filium gratiæ conciliatricem, ab eo adhibitam fuiſſe demonſtrant. Accedit quod maxima pars meditationum, præter primas aliquot de Creationis fine, de peccatis, deque nouiſſimis, quibus animus initio eſt repurgan-

purgandus, & extremam contemplationem de excitãdo amore Dei, quæ totius perfectionis apicem continet, cæteræ conſtant Incarnationis, Natiuitatis, Vitæ, Paſſionis, ac mortis Chriſti Domini myſterijs, quæ certiſſimum eſt maxime cordi fuiſſe & eſſe ſanctiſſimę eius parenti, maximeque eam cupere, vt ijs aſſidue recolendis, cũ animi ſenſu ac fructu ſui cliẽtes occupentur. Quibus ipſa rebus filij ſui geſtis, ac perpeſſis interfuit, illius in noſtra ſalute peragenda comes & adiutrix, eas vt animo gratiſſimo ſemper vſurpemus, vti ſpiritales opes animarumque noſtrarum theſauros, vehementer amemus exoptat; eoque fine, vti à B. Patre, certa quadam arte, ac methodo comprehenderentur, certiſque illigarentur exercitijs, author fuit. Quemadmodum olim Rebecca Iacob filio ſuo ſuaſit, duos

è gre-

è grege peteret hædos eximios, quos pararet ipſa ac coqueret eo condimento quo parentem eius Iſaac maxime ſciret oblectari; vt ab eo Iacob paternam auferret primogenituræ benedictionem; ita videtur Clementiſſima Mater induxiſſe B. Ignatium, viamque ac rationem præmonſtraſſe, qua, Ieſu Chriſti filij ſui ſacroſanctæ humanitatis ac Deitatis myſteria, ijs meditandi formis includeret, quæ nō modo eſſent animis noſtris ſaluberrimæ, communique hominum vſui ac captui perquam accommodatæ, verum & æterno Patri, ſanctiſſimęque Trinitati longe quam acceptiſſimæ, atque ad obtinendā eius vberrimę gratiæ benedictionē aptiſſimæ. Condimenta quibus diuinum numen capitur, pij ſunt affectus ſolida mentis ratiocinatione concitati, & ex affectibus prodeuntia, tum inflammata collo-

quia

quia, tum omnis generis recte factorũ promerita. Denique quemadmodum in cõſcribendis conſtitutionibus B. Ignatius plurima accepit cœleſtia lumina, frequenterque cum Chriſti Domini, tum Beatiſſimæ Matris aſpectu viſibili eſt recreatus, ita conſtat, in hoc exercitiorum inſtruendo libello, cœleſtibus eum abundaſſe viſionibus, diuiniſque ſolatijs, vt religioſo ioco nonnunquam eum Manreſæ ſtatum primitiuam ſuam vocaret Eccleſiam, in quam poſtremo vitę tempore cum Conſtitutiones ſcriberet ſibi reſtitutus videbatur. Poſtremo, quod habuerat in votis B. Pater, Libellus Exercitiorum, agente Franciſco Borgia, tum Gãdiæ Duce, cum accuratiſſimo fuiſſet examini ſubiectus, deſtinatis Cenſoribus viris grauiſſimis, Ioãne Aluaro de Toledo Cardinali Burgenſi Ordinis Prædicatorum, Philip.

Philippo Archinto Pontificis in vrbe Vicario, Ægydio Foſcarario S. Palatij Magiſtro, ex eodem ſanctiſſimo cætu Prædicatorum. Cumque ea exercitia, pietate, ac ſanctitate plena ad ædificationem & ſpiritualem fidelium profectum valde vtilia & ſalutaria eſſe retuliſſent, à Paulo III. Pontifice Maximo approbatus fuit ac collaudatus, Apoſtolico breui dato Romæ apud S. Marcum: neque ſcio an alicui vnquam libro acceſſerit eiuſmodi approbatio Põtificalis. Itaq; ab Andrea Fruſio Latine redditus, primus omnium Societatis liber, initio ſane fauſtiſſimo, typis eſt euulgatus.

die vltimo Iulij 1548. Pontif. 14.

C A-

Digitized by Google

CAPVT XIII.

De Conſtitutionibus & Regulis Societatis Ieſu non ſine Virginis ope conſcriptis.

QVANTVS vir fuerit B. Ignatius, exercitia ſpiritualia, & noſtrę demonſtrant Conſtitutiones, quo vtroque libro, eius quam profitemur religioſæ vitę complexus eſt abſolutionem, viaſque omnes, ac rationes eius aſſequendæ tradidit, vt nihil à nobis pręterea magnopere deſiderari queat. Quę ad meditandi pertinent artem, Deumque mente aut voce precandi, conſcientiam ſuam excutiendi, recte eligendi, & ſtatuendi de quaque re, plurimaque ad varios inſtinctus ac ſpiritus diſcernēdos aptiſſima documenta, continet exercitiorum liber. At quid ſit agendum, quæ ratio vitæ tenenda, quis

quis ordinis domeſtici, ceterarũq; religioſarum, interdiu, ac noctu functionum modus (vt nihil dicam de ſocietatis vniuerſę adminiſtratione ac conſeruatione) tradunt, & quod amplius eſt, exigũt conſtitutiones. Tantæ enim ſunt authoritatis, ac poteſtatis, vt omnes eis parere oporteat, neque cuiquam latum vnguem ab eis diſcedere liceat; ita vero deſcriptæ ſunt ac digeſtæ, vt nullam vitę noſtræ partem relinquant, quam non informẽt, exteriora, interiora, domi, foris, priuatim, publiceque inſtituant. Approbatę ſunt illæ non ſolum à prima noſtra congregatione generali; ſed quod caput eſt, à SS. Pontificibus Gregorio 13. Gregorio 14. Paulo 5. Quam vero in eis condendis, ſcribendiſque rationẽ ſecutus ſit B. Ignatius, ex eius vitę, ac noſtræ hiſtoriæ ſcriptoribus petere licet. Extat commentarius e-

ius

ius manuſcriptus, in quem, velut in ephemeridem referebat ſua lumina, raptus, viſiones, quæ illi cõtingebant, modo Beatiſſimæ Virginis, modo Chriſti domini, modo Sanctiſſimæ Trinitatis adumbratę, quem item præcandi modum adhiberet; quem commentarium vidiſſe ſe ſcribit Hieronymus Platus, & alij. Ex eo ſane commentario, cum de hoc vno capite ad dies quadraginta deliberaret, ſuſpenſuſque hæreret. An domibus profeſſis expediret, ad fabricam & ornatum Eccleſiæ redditus annuos admittere, deprehenditur, tum Sanctiſſimæ Dei Matris aduocationem atque interceſſionem ſemper adhibuiſſe, tum per eam diuino Numini ſuas obtuliſſe deliberationes. Neque ſemel interea tẽporis Beatiſſimam Matrem illi interiore aſpectu ita fuiſſe obiectam, vt maximo cum animi ſenſu ad vberri-

mas

Digitized by Google

mas eum lachrymas prouocarit. Iam vero Conſtitu. p. 4. c. 4. § 3. vbi de ſcholaſticorum ſpiritualibus exercitijs ſtatuit, illud diſerte monet, vt præter Miſſam quam quotidie audiant, horam vnam impendant recitando Beatiſſimæ Virginis officio; Et quamquam in Declarationibus, quę ſunt eiuſdem B. Patris, eiuſdemque ponderis, id ſuperioris prudentiæ permittatur, à quo poſſit augeri, vel imminui præſcriptum orationis tempus; adijcitur tamen, quamuis vnius circiter horæ, tempus ad Beatiſſimæ Virginis preces recitandas aſſumendum ſit. Permittit item vt loco precum Beatiſſimæ Virginis meditationes, & alia exercitia ſpiritualia ſuccedant, dum tamen hora in illis impleatur, in ijs præſertim qui plus viderentur hac mutatione profecturi; docuit autē

expe-

Digitized by Google

experientia mentalem orationem eſſe fructuoſiorem; itaque ea, agẽte P. Borgia eius amantiſſimo, in vſum introducta eſt. Conſultiſſimum vero ſit, & de mente B. Patris, vt Scholaſtici ad orationem mentis, B. Virginis officium adijciant, quotieſcunque tantum à ſtudijs vacui temporis nanciſci potuerint. Coadiutoribus qui legere non didicerint, horam item vnam pręſcribit B. Pater, recitando Roſario, vel coronæ B. Mariæ Virginis; cum duplici examine, & addit, Quoad Coronam, vel Roſarium, doceantur, quomodo cogitare vel meditari myſteria poſſint, quæ in eo continentur, quo maiori cum attentione, & deuotione, ſe in eo exercere valeant. Nemo vero eſt, etiam occupatiſſimus è noſtris, quamuis Sacerdos, Profeſſor, aut alio diſtentus munere, qui non hoc S. Matri quotidie ſui in eam

affe-

affectus penſum exſoluat: Quanti vero pōderis apud nos eſſe debeāt Conſtitutiones ex ea re quam ſubijciam perſpicuum fiet. Quæſiuit aliquando B. Ignatius ex Iacobo Laynez, qui ſanctorum omnium vitas, ortus, progreſſiones, atque inſtituta Religioſorum ordinum accurrate perlegerat, quod eſſet eius iudicium de eorum regulis, & decretis: An eorum auctores & fundatores ſingula, quæ poſteris tradidiſſent, diuina ſibi reuelatione patefacta cognouiſſent, an ex ijs quædam ſuo ſenſu iudicioque ſtatuiſſent; cui, cum reſpondiſſet Iacobus, veriſimilius videri, grauiſſima quæque & maxima, velut ordinum fundamenta, eorum Patribus à Deo diuinitus reuelata fuiſſe, reliqua minora quę naturam religionis non attingunt, prudentiæ illorum iudicioque commiſſa; vehementer hoc Laynij reſponſum cō-

probauit Ignatius, atque haud obſcure indicauit, quæ ſunt ordinis noſtri propria, ac præcipua fundamenta, diuinitus illi tradita, ac conſignata fuiſſe. Minoris ſane momenti videri poſſunt, quæ ad retinendum in omni corporis motu, decorum religioſum pertinent, regulæ, quas nos modeſtiæ dicimus; eas cum vti domeſticis promulgaret, Ludouico Conſaluio Domus profeſſæ Miniſtro mãdaſſet Ignatius, fuit ille tardior aliquantum, ac remiſſior; Tum Petro Ribadeneira qui hæc literis mandauit Ignatius; *Ego*, inquit, *in meditãdis ſcribendiſque regulis diutius laboro, Miniſtri vero, quaſi paruo conſtent, in eis exigendis ſunt negligentiores; has ipſas cum ſcriberem, ſepties amplius Dominum Deum in precatione conſului; ſæpe lachrymas fudi.* Quid igitur in grauioribus egerit; qui in hiſce minoribus tantum curæ operæque po-

poſuerit? Has modeſtię regulas, cũ domi promulgare Laynium iuſſiſſet, omneſque, nullo etiam ſeniore dempto, eius adhortationi voluiſſet intereſſe, quod nouum atq; inſolens videbatur; euenit, vt dicente Laynez, ceteriſque ex eius ore ſuſpenſis ingens ſubito fragor exaudiretur, tantuſque ſtrepitus, vt tota domus a fundamentis concuti videretur. Exterruit ea res omnes, non tamen interpellauit dicẽtem, aut audientes. Mox, concione dimiſſa, comperiunt corruiſſe tectum illud, ſub quo ea ipſa hora, primarij patres, in horto conſidere conſueuerant, à cæna vt fit æſtiuis caloribus; & tum Auguſtus mẽſis agebatur. Oppreſſiſſet haud dubie ea ruina Patres, niſi diuino inſtinctu ac conſilio à B. Patre omnes iuſſi eſſent adeſſe; Tũ vero ille, Deo gratijs actis, viſus eſt, aiebat, hoc facto Deus ſignificaſſe has mo-

deſtiæ leges haud ei prorſus ingra-
Hiſto. l. tas. Sane Borgia diuinum ducebat
4 n.63 opus Conſtitutionum, & recte; cũ
non tam atramento quam lachry-
mis exaratæ ſint, non tam huma-
no ſtudio, quam aſſidua & conti-
nenti prece, non tam magiſtra pru-
dentia, quam Deo prope dictante
conſcriptæ. Nullus erat apud eum
tum librorum apparatus, nullus
codex prȩter miſſarum volumen;
ſtudium eius precatio, Bibliothe-
ca iugis cum Deo congreſſus. Bu-
ſtamantius, quem Præpoſiti Pro-
uincialis omnes expleſſe numeros
cenſebat Borgia, cum Bæticæ prȩ-
eſſet, eo curas omnes ſuas confe-
rebat vt conſtitutionum, & regu-
larum apices, & puncta ſeruaren-
tur; ſat ipſas cum diuina gratia ad
perfectionem adipiſcendam affir-
mans habere virium, nec præterea
quicquam requirendum. Sicubi
laxior diſciplina videretur, inde eſſe
quod

quod neutiquam tanta cura, quanta oportebat, ad Conſtitutionum & regularum præſcriptum vita cōponeretur. Atque de his hactenus: quæ ſi minus quis ad honorē Deiparæ pertinere exiſtimat, is ſibi perſuadeat velim, ex eius ſentētia nulla re magis honorem ſuum ac cultum promoueri poſſe à nobis, quā accurrata religioſæ diſciplinæ regularumque & conſtitutionū obſeruatione.

CAPVT XIV.

De Sodalitatibus & Congregationibus Deiparæ Virginis in Collegijs & Domibus Societatis Ieſu.

DVPLEX in hiſce ſanctiſſimę Dei Matris Sodalitatibus beneficium agnoſcendum, vel quod ex eis plurimi nomina Societati tranſſcribant, vel quod cæteri ad Chriſtianæ vitæ perfectam rationē com-

commodius pleniuſque excolantur in ſeculo. Si complures Societati noſtrę pręſtantes viros exercitia ſpiritualia pepererunt, non pauciores certe præclarę indolis atque optimæ ſpei iuuenes è Sodalitatibus Beatiſſimæ Matris in eam adſcripti ſunt, adſcribũturque in dies magno cum ipſorum, tum Societatis bono. Nam velut à B. Matre primis ad virtutem rudimentis informati, ad capeſſendam religioſam diſciplinam aptiores ſunt, ipſique Societati commodiores, qui ſpiritum eius ex inſtituto facilius arripiant, conſtantiuſque retineãt, & ad ſuam proximique ſalutem vtilius impendant, velut dominati factique operarij, ipſo Societatis lacte à primis annis enutriti. Qui prouecta iam ętate, & in ſeculi negotijs exacta, mature capto in exercitijs conſilio Societatem iniecrũt, videri quidem poſſunt firmiores

res

Digitized by Google

res,& propoſiti ſui tenaciores, quibus mundus longo iam vſu perſpectus imponere nequeat, & ad ſarciendam præteriti temporis iacturam, redimendaſque noxas, pænitentię zelo ardentiores; tamē alteri qui a prima pueritia in Virginis MAtris Sodalitates, velut in eius gremiū recepti, & inde ad Societatem traducti ſunt primo ipſo in adoleſcētiæ flore,& fœliciores ſunt,& opportuniores Societati; quantum pœnitentiæ præſtat innocentia, minuſque prauarum propenſionum nullumque ſiniſtræ conſuetudinis vſum inueteratum, & plus omnino facilitatis ad onus religioſę vitæ ferendum afferunt, exactiuſque ad omnem virtutem, ipſa Societatis educatione atque inſtitutione diuturna efformantur. Neque vero ſunt inexercitati Tirones, quos B. Mater in omnium virtutum officijs per ſuæ Sodalitatis admini-

ſtros exercuit, habent iam adumbrata prima perfectionis lineamẽta, quę poſt in ordine atque inſtituto religioſo, viuis inducant coloribus, & omnibus expleant numeris. Iam ſub auſpicijs ac ſignis Reginæ Matris aduerſus Dæmonem Mundum, Carnem, fortiter dimicarunt, neque ſemel ijs proſtratis hoſtibus, ſenſuumque & amoris proprij expugnata corruptela, victoriam retulerunt, digni qui in cohortẽ ac Societatem Ieſu referantur, ſubque vexillo Crucis religioſam vitam profeſſi non in ſeipſis modo, verum & in proximis ad Chriſti caſtra traductis glorioſè triumphent. Quamobrẽ hoc quoque Sodalitatum inuentum cęteris Deiparæ in Societatem Ieſu beneficijs non extremo loco debet accenſeri, maximæque illi ſunt agendæ gratiæ, quod vna cum Domibus noſtris & Collegijs, ſuas quo-

que

que naſci congregationes, tum iuuenum ſtudijs operam nauantium, tum externorum ciuium quos inter degimus, eaſque ſuo præſidio tectas, ac communitas patrocinio, noſtrorum hominum curæ atque adminiſtrationi commiſerit: primũ quia ſunt eæ congregationes vt cęterorum ordinum religioſorum, ſic comprimis Societatis Seminaria quædam, tum vero quod cum Societatis noſtræ ratio atque inſtitutio tota referatur ad proximi ſalutem comparandam, non potuit vllum eſſe ſalutarius inuentum atque conſilium, quam hoc Deiparę Congregationum, in quibus tot ſe offerunt proximorum iuuandorum oportunitates, totque rationes ad perfectionem eos promouendi, quot ſunt earum Sodalitatum Sanctiſſimæ leges. Sunt itaq; Gymnaſia & Scholæ Chriſtianæ virtutis officiorũ, de quibus Soda-

les non ſtrictim atque obiter, ſed accurate & diligenter ſtatis temporibus inſtituuntur ad omnem plane vitæ ſpiritalis perfectionem, ſiue quæ ad contemplationem ſpectat & iucundum cum Deo, B. Matre, cœlitibuſque conſuetudinem, per orationis quæ mente fit vſum aſſiduum; ſiue quæ ad actionē, per operum miſericordiæ in proximū, tum quæ corporibus, tum quæ impenduntur animis exercitationem. Accedit crebra Sacramentorum pœnitentię præſertim & Euchariſtiæ cum magno ſenſu ac fructu animorum vſurpatio, frequens de diuinis rebus collocutio, carcerū, Noſocomiorum viſitatio, prolixior de diuinis rebus commentatio, & ad B. Matrem precatio, ipſa præſide & auſpice, vberemque gratiæ diuinæ copiam procurante, quę nihil ardentius quam Dei gloriam in his animarum lucris conquirendis

Digitized by Google

dis ac promouendis exoptat. Ego has Sodalitates B. Matris Societatis Ieſu velut appendices quaſdam interpretor, quę ad religioſæ vitæ normam quam proximè accedāt, inſtitutaque noſtra, pietatis & virtutis officia omnia nitantur æmulari, tum in ſua, tum in proximorum promouenda ſalute. Quemadmodum habent Religioſæ quædam familiæ, tertium quē vocant ordinem, eorum qui in ſęculo cōſimilibus prope votis alligentur, aut ſub eorum patrocinio ad eiuſdem vitæ perfectioris adſpirant imitationem, ita & Societas noſtra in B. Matris Congregationibus plurimos habet ſuæ virtutis æmulos, qui ſi demas votorum arctius vinculum, eiſdem ad perfectionem veſtigijs inſiſtant, eaſdem habeant æquales exercitationes, eandē Dei ęqualem gloriam proximique ſalutem ſpectēt, & pro ſua virili pro-

Digitized by Google

curent; breuiter eodem ſpiritu atque inſtinctu ducantur; quanquã fœminarum nullas habemus congregationes, quia cum eo ſexu verſari familiarius eſt periculoſum, & quod illę ſua ſponte admodum ad omnem deuotionẽ propenſę, quod commune ſexus priuilegium B. Matris honori debetur. Initium harum in vrbe Sodalitatum Scriptor hiſtoriæ Societatis refert in annum 1563, quo cæpta eſt pia quædã Sodalitas, authore Ioanne Leonio Belga infimæ Rudimentorum Grammaticę Claſſis Magiſtro, inter inferiorum Claſſium adoleſcẽtes, ex his qui præcipuo ſtudio ſociare cum literis pietatem cuperent, eaque ſodalitas anno inſequente B. Virginis ſubiecta eſt tutelæ, ijſque conſtituta legibus quibus hodieque magnam partem regitur. Cæterum in pluribus ante id tempus Collegijs conſimiles e-

rant

Digitized by Google

rant inſtitutæ Sodalitates, ſed cum nondum ad eas acceſſiſſet authoritas Apoſtolica, iubebantur Sodales in confraternitatẽ Roſarii apud PP. Dominicanos ſua nomina referre; ſed cum earum procedente die apud nos Sodalitatum vtilitas longe lateque manaſſet, Gregorius XIII. Pontifi. Max. Diplomate dato Nonis Decembris 1584. primariam Congregationem in Eccleſia Collegii Romani Societatis Ieſu Externorum Scholarium, & aliorũ Chriſti fidelium ſub titulo Annuntiationis B. Virginis quę per prępoſitum Generalem Societatis Ieſu dirigeretur, inſtituit, atque erexit authoritate Apoſtolica, ampliſſimas elargitus Indulgentias, eidemque Prępoſito Generali facultatẽ fecit, quaſuis alias congregationes in noſtris extra vrbem collegijs erectas, huic primariæ Romanæ aggregandi. Sed & idem ipſe vſus ex-

peri-

perimentis certiſſimis edocuit non tantum ad inſtituendam in pietate Iuuentutem Gymnaſiorum noſtrorum, ſed & ad alios quoque quamplurimos homines externos qui nos adirent conſilij cauſa, in Chriſtianæ vitæ iuuandos officijs hoc Sodalium inſtitutum emolumenti plurimum conferre. Sixtus V. nonis Ianuarij, 1586 eandem aggregandi poteſtatem, indulgentiaſque communicandi ad alias quoque extendit congregationes quę non conſtarent ſtudioſis, & quæ in aliis domibus Societatis erigerentur, idque ſiue à Virgine Annuntiata, ſiue ab alio titulo & inuocatione nomen ſortirentur. Denique Clemens 8. 30. Auguſti 1602. ad Congregationes in Reſidẽtijs Societatis conſtitutas, eandem benigniſſime facultatem extendit. Quod ſane iudicium ac propenſum ſtudium ſummorum Pontificum qui

Chriſti

Chriſti Domini perſonã ſuſtinent, & vices in terris gerunt, non poſſunt ad earum Congregationum dignitatem & ſplendorem non maximopere pertinere, ſed & illã habet vim & efficaciã vt Societati Ieſu plane cenſeatur annexa, ac cohe-rere Congregatio Beatiſſimæ Virginis, ab eaque dependeat, ipſis ordinarijs locorum minime ſubiecta. At quemadmodum Societas vnica eſt toto terrarum orbe diffuſa, licet in varia domicilia diſpertita, ita & Beatiſſimę Virginis Sodalitas non niſi vnica; cuius idem qui Societatis Ieſu caput & Præpoſitus Generalis, ſupremus exiſtit director, tametſi varia ſint velut vnius corporis, membra, variæque congregationes diuerſis quoque Sanctiſſimæ Matris titulis adornatæ, tamen omnes inter ſe meritorum communione ac Societate copulantur.

Digitized by Google

Quin & alia conſequuta eſt vtilitas, vt frequentioribus in vrbibus vbi maximus eſſe ſolet Sodalium numerus, nec eiuſdem omnes ſint gradus & conditionis, ſecernantur appoſite diſtinctęque Sodalitates inſtituantur, vt alia ſit Literatorũ, alia Mechanicorum, alia Coniugatorum, alia Iuuenum adhuc vinculo matrimonij non illigatorum, alia Eccleſiaſticorum, alia Laicorum: Studioſi ſuperiorum & inferiorum claſſium diuerſos quoque cętus habeant & diuerſa Sodalitia, tum ſuus cuique Sodalitati dies feſtus tituluſque Virginis aſſignatur, aut Annũtiatæ, aut Aſsũptæ in Cœlũ, aut ſine macula conceptæ, aut fœliciter in terris natæ, aut præsẽtatę in tẽplo, aut propinquã Eliſabeth viſitãtis, propoſita peccatorũ generali indulgẽtia vniuerſis plerumque fidelibus, tametſi in Sodalium numerum non ſint adſcripti.

Qua

Qua ratione ab vniuerſis eius oppidi ciuibus templa noſtra maxime frequentantur, ſacramentorũ pœnitentiæ & Euchariſtiæ cauſa, maximo ſenſu ac fructu pietatis. Eſt enim B. Virgo velut eſca quædam ſpiritualis qua ad ſalutem ſuã plurimi mortales capiuntur, vti dicere conſuerat B. Virgo Catharina Senenſis; communis eſt omnium fidelium Mater, ad quam eo ſecurius in ſuis confugiant erumnis atque periculis, quo de eius facilitate & benignitate materna, certius confidunt, quoque maior eſt apud Deum filium eius auctoritas & poteſtas; non igitur vnum id eſt ſed plane multiplex beatiſſimæ Matris in Societate Ieſu filij ſui beneficiũ, quod erectas ſub ſua tutela cõgregationes fidei noſtræ ac curæ commiſerit. Et vero præcipuũ virginis cultum hac Sodalitatum adminiſtratione cõtineri nõ eſt ambiguũ.

Digitized by Google

ſeſſionem aliquam adiudicaſſe credenda eſt, cum ei Collegium mox ab inſtituta Societate Lauretanum prouidit atque attribuit; quod fuit ſanè beneuolẽtiſſimæ Dei Matris in Ordinem noſtrum ſingulare beneficium, ſiue ſacræ iſtius ædis per ſeſe dignitas sãctitaſque ſpectetur, ſiue quæ de proximorũ bene merẽdi ſalute ſumma iſtic ſuppeditatur opportunitas. Tantam Deus mortalium animis inſpirauit huius ædis Lauretanæ religionem, vt quicũq; ad Lauretanã ædem accedunt, non tam ad ædem Virginis quam ad ipſam Virginem ſibi adire videantur. Neque modo myſteriorum inibi geſtorum quam ſacri parietes ingerunt, ſpecie & recordatione gignitur ea religio, ſed inhabitãtis numinis Dei & diuæ matris præſentia clariſſime commonſtratur. Nemo eſt tam durus ac ferreus qui non primo aditu ſacræ cellæ

cor

cor ſibi ſentiat emolliri; nemo tam perditus ac profligatus qui non animo totus commoueatur & ad melioris vitæ ſpem propoſitumq; incitetur: hinc ille pius & ſacer horror omnium mentibus ingeritur, hinc ſcelerum deteſtatio, contritioque in vberes profuſa lacrymas; hinc diuini ardor amoris, Deoq; ac Virgini Matri rebus in omnibus obſequendi ſumme incenſum deſiderium: hinc cæteræ commotiones ac commutationes animorum inuſitatæ quę perpetua, certaque domus Lauretanæ miracula, tametſi deeſſent externa quæ nullo deſunt tempore & frequentiſſima & celebratiſſima, diuinæ præſentiæ fidem cumulate facerent. Hic animis ægris ęquè ac corporibus medicinam ſalutarem comperiunt, quotquot ad Virginis opem confugiunt ærumnoſi mortales, qui ſane confugiunt ex toto terra-

Digitized by Google

terrarum orbe quam plurimi. Nã vt celebritate miraculorum, ita peregrinorum frequẽtia cęteris ſacris B. Dei Matris ædibus longe antecellit Lauretana, cuius id proprium eſt, atque præcipuum, vt eius ſanctitas atque religio in dies augeatur, atque quotidie magis efflоreſcat, cum aliorum fere celebritas vbi viguerit aliquãdiu, procedente die deflореſcat, atque in minuta langueſcat.

O Cœlo dilecta Domus, poſteſque beati.

An non terreſtre quoddam cœlũ exiſtimari debet ea domus quæ tota Virginis Dei Matris auſpicatiſſimo eſt conſecrata Natali, diuinoque Saluatoris hominum initiata conceptu, totque eſt annorum perpetuo ſanctificata conuictu ac contubernio, conſcia ieiuniorum, cæterarumque eius ardẽtium precum, vigiliarum, corporiſque afflictationum, quibus à prima

ma pueritia, adoleſcentiaque prima tum noſtræ redemptionis opus auſpicabatur, *Nutricula Domini*, vt eam appellat Hieronymus. Sanctiſſima teſtis eius virtutum & infiniti pretij meritorum ad annum vſque trigeſimum occultatrix, obſtupeſcendo plane miraculo primum è Paleſtina in Illiricum, ex Illirico tum in Italiam tranſmare ab Angelis delata, totque iam ſecula vix ſolo ſubnixa ſine vllo fundamento perſiſtit immota, humanaque omnia reſpuit fulcimenta.

De huius ædis præſtantia, celebritate, miraculis copiosè Petrus Caniſius libro 5. de B. Virgine c. 25. & Horatius Turſellinus hiſtoria quam accuratiſſimè perſcripta. Magno igitur ſolatio ac gaudio ad eam ſacram ædem commoratio debet eſſe Societati, quæ per illos ſuos è ſuo corpore delectos Patres veluti vernaculi ac dome-

domeſtici Deiparæ virginis effecta eſt, ad eamque adit quotidie, votaque illi ſua atque obſequia defert quo loco & tempore habet euentu acceptiſſima tum non dubiè illius ope præſenti nixa, proximorum quoque plurimorum ſtudet incolumitati ac ſaluti. Magno quoque ſolatio eſt Patribus aduenis, qui tum in vrbem tertio quoque mittuntur anno delecti Procuratores, aut ad conuentus Generales è quaque prouincia proficiſcuntur, tum aliis de cauſis per Italiam iter inſtituunt ad ſacras Virginis Dei Matris ædes diuertere, in eoque illius auguſtiſſimo Sacrario quo ſe mortalibus maxime propitiam, ad eoſque iuuandos propenſam commonſtrat, ſuorum offerre votorum ardentes preces, animique implexas explicare difficultates, incenſas ad perfectionis ſtudium

expri-

Digitized by Google

exprimere voluntates, perſeuerantiamque in bene ceptis efflagitare. A qua illi ſanctorum, at inanes cæleſtibus donis & illuſtrationibus haud abſcedunt. De Patre Baltazare Aluarez accepimus præter alias res ad ſuę ſalutis & perfectionis ſtatum congruentes id à clementiſſima Matre hac in æde ſacra doctum monitumque fuiſſe, vt pręcipua deinceps religione ac pietate S. Ioſeph ſponſum ſuum Saluatoriſque nutritium obſeruaret ac coleret, in omnique re ſua Patronum ſuum certiſſimum aduocaret; & apte quidem cum huius ſacræ domus incola pręcipuus, ac Pater familias S. Ioſeph extiterit, cui ſe Saluator Deus homo, ſanctiſſimaque eius Mater obſequendi ſtudio ſubdiderant, & nunc in cœlis vicem rependere, ac beneficium reponere percupiunt. Vt quos habet Saluator eximie charos

ros, ſingulari ſtudet aduerſus matrem ſuam imbuere pietate, ita quos Virgo Mater ſibi magis obſtrictos cupit clientes, ad ſponſum ſuum eximia religione colendum impellit. Verum aliquando quod fuerit huius Lauretani Societatis Ieſu domicilij principium, ex hiſtoria noſtra proferamus. Rodolphus Pius Cardinalis Carpenſis huius ædis protector, cum animaduertiſſet minorem in eo templo ſacerdotum numerum, quam & aſſiduus aduenarum concurſus, & loci dignitas ſanctitaſque poſtularet, impulſu Gaſparis Doctij Societatis amiciſſimi, qui hoc tempore eius oppidi procurationi præerat, de collocanda in eo Societate, fundandoque Collegio agere cæpit. Ea res cum B. Ignatio primum, deinde cum aliquot è primarijs Cardinalibus, ad extremum cum ipſo Pontifice Iulio III. cõ-

Hiſt. Societatis l. 13. n. 25.

municata, adeo eſt probata Pontifici, vt è veſtigio Ignatio admonito, de Societate quatuordecim eo mitti iuſſerit; Paruit illico B. Pater & extremo Nouembri 1554. eum quem Pontifex imperarat numerum miſit, Rectoremque conſtituit Oliuerium Manareum, quem Romano Collegio recēs præfecerat, & queōmnes deinde Societatis Magiſtratus dempto ſummo, preclare geſſiſſe, huiuſq; Belgicæ noſtræ Viſitatorem & Præpoſitum Prouincialem iterato vidimus. Vbi peruenere, magna cum animi voluptate, vniuerſi ſanctam Deiparæ cellam ſalutarunt, ſenſerūtq; iuxta Patres ac fratres incaleſcere ſibi quodam recenti feruore pectus, & ad diuinum famulatūm vires corroborari, haud dubia ope ſanctiſſimæ Matris, ſuæ illi ſedi fauentis. Excepti ſunt à Cononicis eximia charitate gaudentibus addi ſibi adiuto-

iutores ad celebritatem ſanctæ domus augendam: nonnullique, ex eorum numero, ad ſuum profectũ ſpiritalem ſuſceptis ſpiritalibus exercitijs, Societate vti cæperunt. Primis initijs eodem vtebãtur cænaculo. Sed mox aucto prę pænitentium affluxu, numero noſtrorum, ſuprema pars ac contignatio ædificij, quod eſt peramplum ac vaſtum, illis eſt aſſignata, & ad vſus modo domeſticos concinnata præclaram omnino præbet Collegij formam. Commeatum, & quæ ad tuendam vitam pertinent eadem ſancta domus abunde ſuppeditat hodieque. Non enim quod quidam formidare videbantur, imminutæ ſunt ex aduentu noſtrorum ſanctæ domus fortunæ, ſed vehementer auctę, tum fundis, tum prędijs, tum oblata peregrinorum ſtipe vectigalibus amplificatis; conſtatque ex eo tempore & adue-

narum frequentiam, qui cum ſuæ gentis Sacerdotibus poſſent agere, & donorum quoque copiam ſolito fuiſſe maiorem. Ipſo primo, quo noſtri ſedem hic fixerunt, anno nōdum præterito, tanta vis fuit vndique confluentium peregrinorum, vt Sacerdotum ad viginti numerus augendus fuerit; inſequenti vero etiam ad quadraginta. Nam ea fama nouorum Sacerdotum, qui varijs inſtructi linguis omni hominū generi, ac nationi in audienda exomologeſi operam darent, prope incredibilem ex orbe toto peregrinorum multitudinem exciuit, quæ conſequentibus annis hodieque perſeuerat. Nemo vero eſt, ex omni ea peregrinorum multitudine qui ſe peregrinationis votum expleſſe credat, niſi è ſanctiſſimo illo domicilio per confeſſionem expiatus, diuino inſuper Euchariſtiæ pane refectus, plenus in Deum Diuāque

que Matrem fiduciæ ac charitatis abſcedat. Quam autem hic noſtrorum in audiendis remittendiſque peregrinorum & aduenarum peccatis, Deo gratus extiterit labor, admirabili ſignificauit oſtento. Viſus eſt multis, dum & concionem è Societate Sacerdos ad Canonicos, & promiſcuam habet multitudinem, & reliqui Patres ſuis in confeſſionum thronis Iudices animorum ſedent, ſplendor quidam eximius velut ardentis facis, è templi labi faſtigio ſupra auguſtam Deiparæ domum, ſupraq; ſacellum, vbi cum aliquamdiu cõſediſſet, inde ad concionem per ſacra tribunalia digreſſus, in quibus noui de Societate Preſbyteri Pænitentię ſacramentum ſeduli miniſtrabant, ſupra comam & confitẽtium capita diſcurriſſe. Quo ſignificari diuinitus viſum eſt, vt ſæpe alias quantum ignis atque flam-

marum, quantum ſplendoris ac lucis in eorum animis eſſet paritura Deipara, nouis præſertim Sacerdotibus aduocatis, qui ſuam ædem natalemque domum pie religioſeque frequentarent. Niſus eſt malus Dæmon inuidia furens, terriculamẽtis ac ſpectris Collegij trãquillitatem perturbare, ſed B. Ignatij meritis, precibuſque, cum ad eum confugiſſet Rector Oliuerius, breui mox à recitata B. Patris in omnium conſeſſu epiſtola, profugere ac ęternũ conticeſcere coactus eſt; quam rem ab alijs accurate perſcriptam, non repęto.

Digitized by Google

CAPVT XVI.

De Societatis inſtituto docet Beatiſsima Virgo Ioannem Nunnium Baretum, qui deinde fuit Æthyopiæ Patriarcha, & ad illud amplectendum excitat.

QVANQVAM actioni præcellit contemplatio, tamen ea vitæ ratio atque inſtitutio, quæ cum actione contemplationem ſociat, & ex contemplatione deriuat actionem, longe vtriuis eſt anteponenda. Quam ob cauſam inter ordines Religioſos primum dignitatis locum S. Thomas attribuit ijs, qui ad docendum & prædicandum referuntur, quoniam cum huiuſmodi opera ex contemplationis abundantia promanent, vtrumque bonum & actionis & contemplationis amplectuntur. Quo ex genere noſtra Societas exiſtit, vt eam Tri-

dentinum appellat, Religio Clericorum Societatis Ieſu, quæ commoda atque emolumēta tum Religioſis, tum Cleri permiſceat, ſolitudinem, ſeueritatem, & innocentiam hominum religioſorum, cum ſollicitudine, cura, charitate atque officijs clericorum in proximos acurate coniungat, quod in Euſebio Vercellēſi laudat Ambroſius cum à ſuis exigeret & monaſterij cōtinentiam, & Eccleſiæ diſciplinam, Clericorum officia, & Monachorum inſtituta. Quod in vtraque Cleri & Religionis ratione pręcipuum eſt, atque optimum, id quoad licet amplexa Societas, exequi atque exprimere nititur. Cum enim Religionis pręcipuæ partes ſint fuga ſeculi, Abnegatio ſui, Paupertas, Caſtitas, Obedientia, quæ votis illigata, Religionis ſunt fundamenta, conſectatur hæc omnia Societas, ſed obedientiam

Epiſt. 25

præ-

Digitized by Google

prȩcipue, qua diſcernatur à cæteris familiis, eximiam notam. Cleri autem forma, vt ab Apoſtolis eſt inſtituta, his potiſſimum conſtat officijs, docendi, prædicandi Euangelium, inſtruendi rudes Catechiſmo, adminiſtrandi ſacramenta pænitentiæ præſertim & Euchariſtiæ, purgandi, illuminandi, perficiendi mortalium animos; quo triplici operum genere cæleſtem terreſtris æmulatur hierarchia, quam eandē formam ſibi noſter ordo deſumpſit. Suȩ, quiſque primum ſaluti ac perfectioni, vti par eſt inuigilat, tū aliorum ſaluti ac ſpiritualibus ſtudet vtilitatibus. Ita cum Martha ſatagimus ad proximorum ſpiritalem incolumitatē; vt tamē, cū Maria à Chriſti pedibus ſacriſq; veſtigijs longo interuallo non abſcedamus: negotia ſalutis proximorū ita tractam⁹, vt Dei meminerim⁹. Cæterū vni ſibi cōmodiſq; ſuis nemo

 natus

natus eſt. Generoſæ mentis eſt quamplurimis opitulari velle. Et ſane eiuſmodi ſunt ſpiritales proximorum neceſſitates, anguſtię,& ęrumnæ,vt ijs ſubleuandis cuiuſq; contemplationis excelſiſſimæ videatur otium deſerendum. Hanc vitæ rationem ex actione ac contēplatione permixtam ſecutus eſt Chriſtus Dominus, ſummus recte viuendi Magiſter;ſequuta Deipara virtutis omnis ac probitatis norma; ſequuti Apoſtoli, cum ad docendas gentes Euangelium toto terrarum orbe ſunt dimiſſi. Sequitur tandem quo poteſt paſſu cum Dei gratia, noſtra minima Societas. Verum id perdifficile comprehenſu ducebat Ioannes Nunnius vir ſanctiſſimus de cuius vita & virtutibus tum Orlandinus in hiſtoria Societatis, tum qui vitam eius ſcriptis mandauit Nicolaus Godignus de rebus Abiſſinorum.

Hic

Digitized by Google

Hic cum eſſet Abbas Eccleſię Deiparæ Virginis Iteirenſis, in ea Interamnenſi regione Luſitaniæ, quæ Minio Parioque fluuiis includitur, pacataque ac dulci contemplatione frueretur, non exiſtimabat eam cum obediendi ratione, qua ſuam Chriſti cauſa rebus in omnibus quis alteri ſubmittit voluntatem, cohęrere poſſe. Iam à principio ſibi perſuaſerat, in vnius orationis ſtudio ſalutem ac perfectionē eſſe locandam, eoque potiſſimum vitæ genere, quæ contemplatione nititur animi pacem & tranquillitatē contineri, quare ſenas quotidie tribuebat horas orationi, multuſq; erat in macerando corpore: nec de ſententia, Melchioris fratris, qui ad eum venerat per ſpeciem peregrinationis Compoſtellanę, ſi forte poſſet eum ad ſuæ vitæ rationes traducere, vllo ſermone deduci potuerat. Angebatur tamen ardenti

ſubinde perfectionis Euangelicæ deſiderio, quam niſi ſe rerum omnium exueret poſſeſſione, ac ſui iuris eſſe deſineret ex alterius pendẽs arbitratu, conſequi ſe non poſſe cernebat; verum id obedientiæ iugum, plenum curarum, ac difficile toleratu cenſebat. Compararat ſibi nomen Abbatis ſancti, Beatiſſimamque Virginem Mariam ex intimo diligebat animi ſenſu, & ſane creditur à Deo, illius optimæ Matris ope ſingularia ſæpius accepiſſe dona, multaque prænouiſſe ad ſalutem animarum conducentia. Cum Petrum Fabrum in Luſitaniam aduenire fama nuntiaſſet, ſcribit ad fratrem Melchior, Conimbricam venire non grauetur, Sociorum exploraturus viuẽdi rationem, deque vitæ ſuæ ratione cũ Fabro rerum diuinarum intelligentiſſimo, communicaturus. Ad has litteras, cum accederent interiores

ſtimu-

ſtimuli à ſpiritu ſacto, quibus dies noctesque pungebatur, anceps animi, certum obtulit Sacrificiorum numerum totum ſe Dei voluntati permittens, atque enixe rogans, ſignificare vellet, quod ſibi futurum eſſet vitæ genus acceptiſſimum. Nocte quadam, videre ſibi viſus eſt per quietem, ſacerdotem in ſacroſancta lyturgia ſolenni ritu litantem, ſe vero Diaconi vice miniſtrantem, cumque ad pacis oſculum, quę de illius Eccleſiæ more, ſacris operanti porrigitur, ventum eſſet, Ioannes pro Diaconi munere, ad dextram facientis accedit, & illud inde quo dari pax ſolet inſtrumentum porrigit: ſacerdos recuſat accipere, & modica capitis inclinatione innuit ad læuã ſe vertat, & ex eo latere porrigat; negat Ioannes ex eo latere id officium præſtari, pergitque à dextra porrigere: iubet iterum ſacerdos

ad lę-

ad leuam ſe vertat, & inde porrigat; contra perſeuerat Ioannes, miraturque, quo pacto iubeatur à præſcripto Eccleſię ritu recedere, dumque longior altercatio ducitur, ſomno ſoluitur, ſtatimque illuſtrante mentē Deo inducit in animum, videri illis viſis ſignificatum non à ſola contemplatione, ſed ab actione ſimul petēdam eam pacem quâ frui tantopere cuperet; Deo gratum, ſibique ad ſalutem vtile fore, ſi partem vtramque, dextram contemplationis, & actionis ſiniſtram ſimul amplectatur. Interim ſacerdotem illum ſibi requirendum ſtatuit, qui eſſet oſtenſus, & qui pacem illam Domini certius interpretetur. Iterum igitur ad Deiparę Virginem ſupplex recurrit, & certo ſacrificiorum conſtituto numero, conciliandam ſibi ducit, profuſis lachrymis demiſſe precatus diuinam hac in re ſibi aperiat

Digitized by Google

periat voluntatem.

Altero à kalendis Nouembris die cum ſacrum facit, ſuumq; ſanctiſſimę Virgini negotium exponit, & eius ſe curæ ac patrocinio cōmittit, enixe petens, vt de cœlo lucem ſibi clementiſſima Mater à filio impetret, ecce ipſa cæli Regina ſpecie auguſtiſſima & pulcherrima immortali circumfuſa ſplendore, qualis & quanta videri cœlitibus ſolet, ſacrificanti ſeruo ſuo ſpectandam ſe prębet, eiuſque animum incredibili iucunditate perfundit; aderat cum Beatiſſima Dei Matre Petrus Faber, ille ipſe cui paulo ante ſacrificanti Ioannes per quietem miniſtrarat, quem mox vt vidit ex facie cognouit: tū Virgo ſeruum ſuum benigne intuens animos, inquit, ſume Ioannes, & angorem iſtum qui te nimis angit procul pelle, Conimbricam illico te confer, Collegiū Societatis adi, hunc

hunc Fabrum, quem præſentem cernis inibi expecta, eius conſilia, pręcepta cohortationes, doctrinã ſequere, ex eo cognoſces quid à te Dei voluntas, petat: nec plura, mox ex eius conſpectu cũ Fabro ſe Dei Mater eripuit. Ille tam eximia Deiparæ gratia in maiorem ſpem erectus, ad imperium minime ſegnis, aſſumpto pauperis ac peregrinantis habitu, mox Conimbricam pergit, velut hoſpes in Collegio ad dies 40 verſatus eſt, adhuc priores illas inter animi luctãtis anguſtias, veritus ne dum à Marthæ negotijs dato in Societate nomine nimium premeretur, Marię contemplationis, & otij ſancti cui iam inſueuerat, dulcedine priuaretur, certiſq; dimiſſis ſequeretur incerta. Aduenit aliquando Faber cuius ante figuram, oris formam & totius corporis compoſitionem in ſomnis; & illo cum Deipara viſo altiſſime ſibi im-

bi impreſſam Melchiori fratri Ioã-
nes deſcripſerat; quare illico vt aſ-
pexit, eundem illum eſſe recogno-
uit, nec diu moratus animum ei
ſuum penitus patefecit, quid de
commutando vitę genere cogitet,
qua verſetur in ambiguitate, &
obſcuritate; cui Pater, nolim (in-
quit) iſta contemplationis tuæ dul-
cedine ſic te rapi ſinas; nihil vt opi-
neris præſtare te poſſe aliud, quod
ſit vel Deo gratius, vel tibi ad ani-
mi quietẽ oportunius: rem intro-
ſpice, deprehendes forte calidiſ-
ſimi hoſtis latere dolos, in hac e-
nim quietis opinione tibi parat in-
ſidias, eaque veluti firmiſſimâ cõ-
pede tenere te vult, vt dum in mag-
na rerum abundantiâ, omni obe-
dientiæ ſolutus freno, liberrime vi-
uis, tuoque arbitrio tibi res accõ-
modas, in liberiorem deinde viuẽ-
di licentiam, quod ſæpe fit, pau-
latim delabaris, atque illam ipſam
quæ

quæ nunc tantopere te delectat, contemplationis quietem à nemine coercitus deſeras, vitæ laxioris blanditijs delinitus. Quam exiſtimas animi tui pacem interturbaturam obedientiam, eam ſcias vnam ſtabilire poſſe ac conſeruare, ſi tuã penitus exueris voluntatem à qua omnis fluctuatio, ſi in Dei, ſuperiorumque, qui Dei vices in terris gerunt, acquieſcas voluntati, quæ ſola tranquillitatis arx eſt, & internæ lętitiæ parens. Deinde in eo vitæ genere quod hactenus es ſequutus, haud tibi deinceps ea pax atque tranquillitas eueniet, animiq; dulcedo quæ fuit hactenus; nam quãdo id vitæ genus Deo acceptiſſimũ credebas, is tibi fideliter obſequenti, cæleſtium conſolationum copiam large ſuppeditabat, verum cum iam noueris multo perfectius vitæ genus inſtitui poſſe, quo in ſancta paupertate atque obedientia te-

Digitized by Google

tia temetipſum illi in ſacrificium immoles, tuamque operam non ad vnius exigui populi, ſed ad omnium mortalium ſalutem, ex obedientiæ nutu deriues, plurimas inter ærumnas & certa vitæ diſcrimina, hic iam tibi conſueta in tuo ſeceſſu atque otio neutiquam aderit tranquillitas. Hac oratione Fabri tanquam diuino ictus oraculo, ad eius ſe pedes abijcit, ſeque vt in fratrem adſcribat, ac perfectam viuendi rationem doceat, enixe flagitat: at Faber: ſuſtine (inquit) cōſilium in præſentia: ſurge vt moris tui eſt, ſub mediam noctem ad preces, totumque te diuino numini tradens prouoca dęmonem, vt ſi quid poſt initam Societatem facturus tibi eſt negotij, ſi quas tentationum machinas admoturus, omnē modo vim ſuam expromat, tum orta luce ſacroſanctum offer ſacrificium, coramque Domino de inſti-

inſtituendâ vitâ delibera, & id ſequere quod eo loco decreueris. Exſequitur rem Ioannes, & cum ex diuturna cum dæmone lucta ad auroram vſque producta tandem ſuperior euaſiſſet, ad altare ſe confert facturus ſacrum: quo in ſacro cum Chriſti corpus manibus teneret, noua rurſum ſpiritus luce perfuſus, firmiſſimè decernit Societatis Ieſu ſigna ſequi, in eamq; mox admiſſus, omni genere virtutis ac ſanctitatis excelluit. In Indiã miſſus, Æthiopiæ creatus Patriarcha poſt innumeros ad Dei gloriã exhauſtos labores, in Goano Collegio Sociorum corona circumſeptus, extremum diem obijt, atque euolauit in cælum, anno à partu Virginis 1562. 13. Kalendas Ianuarij.

Anno 1545.

CAP.

CAPVT XVII.

De B. Conſaluo Sylueria abs Rege Monomotapę Martyrium perpeſſo.

QVIA maior vis eſt in exēplis, & plus facta quā verba poſſunt ad animos noſtros permouēos, producā illuſtres aliquot Deipraæ Clientes, qui vita magis & re geſta, quam voce teſtimoniū dicāt. Conſaluius Sylueria clariſſimo genere natus Comitis Sortellani filiꝰ, anno ab cōdita Societate quarto cū ætatis ageret ipſe vigeſimū, in eam eſt cooptatus, tantoſque breui pragreſſus fecit, ſui ipſius deſpicientia, corporis aſperitate, magis admiranda quam imitanda, orandi mente, & cum Deo verſandi perpetua quadam aſſiduitate, ſumma contentione laborum, ac cuius cuiuſque modi pieta-

Nicola. Godignus de eius vita.

Digitized by Google

pietatis erga proximos officiorum exhibitione, leproſorum quoque cura ſuſcepta, eos (inquam) breui progreſſus fecit, vt iam tum videretur à Deo, ad illuſtre martyrij diadema comparari. A Beato Ignatio poſt emiſſa profeſſorum ſolemnia vota, ſacris operante Borgia, primus Oliſſiponenſis Profeſſæ domus ad Sancti Rochi Præpoſitus eſt renuntiatus, annoque vertente Prouincialis in Indiã miſſus, quo quidem in munere, quo ſtudio Deiparam proſequeretur, crebri de ea ſermones & priuati & publici, quos cũ ſe daret occaſio, ſummo habebat animi ſenſu, declarabãt. Atque vbicunque aliquã eius imaginem offendebat, demiſſis modeſtè oculis, & magna capitis totiuſque corporis inflexione, flexis etiam nonnumquam genibus venerabatur. Erat in ambulacro Goani Collegij Virginis effigies

gies, ad cuius conſpectum quoties ſe Conſaluius dabat, nocturno prę-ſertim tempore quo minus obſeruari poſſet, ſubſiſtebat pauliſper, & ſupremam Reginam, & Dominam agnoſcens venerabūdus ante illam procumbebat: idem ſæpe animaduerſum cum in eiuſdē Collegij horto precarios globulos deambulando percurreret, quoties Angelicam ſalutationem inchoabat, toties ante ſacram effigiem genua flectens, pium erga Virginem animū oſtēdebat. Perfunctus munere prouincialis ſumma laude & ſingulari virtutis exemplo ſub initium cum ſocijs duobus diſceſſit Goa, & regiones eas quę dicuntur Inhambalis & Monomotapæ iuxta bonæ ſpei promontorium inter Moſambicū & Sopatram, vt nationibus ijs Euangelium nuntiaret, quod inopia Concionatorum nondum probe cognouerant. Inhambalem

lem vbi perueniſſet, in vrbe Regia Tongæ Regem vna cum vxore, ſorore, liberis, cognatis, Regniq; Proceribus, populo denique pæne toto intra paucos dies, magna cum gratulatione & lætitia, ſacro fonte luſtrauit, ſociiſque apud Regem Chriſtianæ rei cauſa relictis, Monomotapam ire pergit. Atque vt omittam quas res præclare geſſerit hoc itinere quas difficultates exhauſerit, vt ſe dies octo ſubduxerit ab hominum conſpectu, & cõſuetudine, in certa nauigij parte velo ſibi prætento, ad exorandum, & ſuę legationi conciliandum diuinum numen, cum ſemel tantum quotidie toſti ciceris pugillo, & exiguo hauſtu frigidæ ſe reficeret; vt hęc inquam omittam, de eius in virginem pietate pauca proſequar ex Godigno. In Beatiſſimam, inquit, Virginem Deiparam quam viæ ducem ac pręmonſtratricem dele-

Digitized by Google

delegit, eius ſtudium præcipue enituit, meditãdiſq; illius virtutibus & ornamẽtis integram diebus ſingulis horam à prandio decreuit, quam diu duraret nauigatio. Primos tredecim dies coactis ex mandato Nauarchi ad certam horã, & certum nauis locum, quotquot in ea militum nautarumque vehebantur, nec minori eorum voluptate quam fructu de ſummæ Matris laudibus ſumma animi contentione dixit, inſtituitque, eodẽ probante, primum vt vnoquoque ſabbatho, tum vt diebus ſingulis eiuſdem Sanctiſſimæ Virginis litaniæ ſolemniter decantarentur. Nec defuit eorum pietati Beatiſſima Mater: ipſo enim Purificationis die monſtrauit terram, cuius aſpectu plures dies, caruerant; cumque rurſus coorta eſſet fæda tempeſtas, & integram noctem toto mari vagarentur incerti de via, illuceſcente

die iterũ Moſambica terra, in eaq; eminens templum Deiparæ, cui à propugnaculo nomen eſt, ſumma omnium lætitia & acclamatione cominus monſtratur, Conſaluo tũ recitandis horarijs precibus intento, cum ad eum perueniſſet verſiculum, *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem*; quæ præſenti Deiparæ præſidio accommodabat. Vt igitur ad portum appulſa nauis, & excenſio facta eſt, Conſaluus recta ad Virginis templum nudis pedibus ſe confert, dies aliquot ibi permanet, aſſiduè intentus orationi, nec Pantaleonis Salas viri primarij, Conſaluo propinqui precibus moueri poteſt eius vt domum diuertat. Verum id quod propoſitum nobis eſt, eius Martyrium exequamur cæteris præteritis. Natalium feriarum octaua, cum vrbem Monomotapam introiſſet, miſit Rex qui Cõſaluum

Pſal. 104

Digitized by Google

ſaluum cum muneribus viſeret, auri pondere ingenti, rebuſque permultis, & famulatu ad miniſteria quotidiana. Cõſaluus gratijs actis muneribuſque repudiatis, ex ipſo legato regem cogniturum eſſe reſpondit, quod genus auri quaſue diuitias in ea loca quæſiturus aduenisſet: obſtupuit Rex ea magnitudine animi, venientemque ad ſe Conſaluum, tanta gratulatione & ſignificatione honoris excepit, quãta neminem vnquam antea. Cum vero rem diuinam faciente Conſaluo quidam è Principibus prætereuntes, è foribus aſpexiſſent in ara propoſitam perelegantem B. Mariæ Virginis imaginem, quam in tabula depictam, ex India Conſaluus adduxerat, ſpecie decepti, deferunt ad Regem Conſaluum egregia forma puellam apud ſe habere. Hortantur vt ab illo depoſcat; nec mora iubet ille renuntiari

ſaluo audiſſe ſe vxorem illum ſecũ adduxiſſe, vehementer cupere, vt eam ſibi ſiſtat; tum Conſaluus tabulam pretioſa veſte inuolutam ad Regem defert, ac præfatus, ad acuendum deſiderium, illam eſſe effigiem Matris Dei, cuius in ditione ac poteſtate ſint omnes Reges, & Imperatores orbis terræ, tũ denique tabulam aperit Regis matre pręſente; Rex imaginem veneratus, Conſaluum etiam atque etiam obſecrat, eam ſibi largiatur, domi ſe habere velle: libenter annuit Conſaluus, & ipſemet in Regio cubiculo eam collocat ibidemque quaſi ſacellum quoddam precandi cauſa varijs periſtromatis exornat: noctibus deinceps circiter quinque Regina Cœli ea ipſą ſpecie, quam tabula oſtenderet, diuina circumfuſa luce, ſuauique ſplendore fulgens, auguſtiſſimo ſimul & iucundiſſimo aſpectu, dormitanti aſtitit

Regi

Digitized by Google

Regi, quod ille mane Matri narrabat rei nouitate vehementer attonitus, itemque Luſitanis: quin & Conſaluo ad ſe accerſito, ait ſeſe vehementer angi quod ſermones Reginæ eius quæ ſecum ſingulis noctibus loqueretur, non intelligeret; cui Conſaluus, cum eam eſſe linguam diuinam dixiſſet, quam nemo noſſet niſi qui ſacroſanctis eius Reginę filij legibus pareret, quippe qui Deus eſſet, totiuſque generis humani redemptor, Rex quidem, ſi minus verbis, vultu certè ac ſignificatione ſe Chriſtianum velle fieri oſtendit, bidui vero ſpatio interiecto, per Antonium Caiadum interpretem Conſaluo denũtiat, certum ſibi eſſe Matrique, Chriſtiana ſacra ſuſcipere, proinde ad ſe baptizandum quamprimum veniret. Verum vti plenius Rex Chriſtianæ fidei pręceptis ac rudimentis imbueretur, quinto demũ

& vigeſimo poſt aduentum ſuum die, Conſaluus eum ſcilicet, & matrem non ſine ſolemni pompa ac gratulatione cum trecẽtis Regni Proceribus ſacro initiat baptiſmo, quo die cum Rex centum boues Conſaluo donaſſet, ille ad Caiadum miſit, vt in fruſta diſecti in pauperes diſtribuerentur. Adferebantur & alia Conſaluo dona, lac, oua, butyrum, hædi, aliaque id genus; ſed neque hæc, nec aliud genus carnis omnino guſtabat, cocto dũtaxat milio exiguo, herbiſq; & ſilueſtribus victitans pomis. Facta erat apud omnes animorum ea commotio, vt in Chriſtianã Religionem vniuerſa multitudo videretur incumbere, cum à Mahometanis quatuor potentibus, & callidis viris, apud Regem gratioſis Conſaluo parantur inſidiæ; author conſpirationis Moſambicus quidã Mimgames fuit ſuperſtitionis

Maho-

Mahometanæ Antiſtes. Imponunt adoleſcenti Regi, Conſaluũ miſſu Proregis Indiæ, ac terræ Sophalæ regulorum ad explorãdum Regis ſtatum, ſollicitandoſq; ad defeſectionẽ populariũ animos veniſſe, teterrimum illum eſſe ac ſagaciſſimũm magum, quicumque caput ſuum aqua perfundi paterẽtur cõceptis pręſertim verbis Langariorum (ſic enim Luſitanos vocant) ab eo pronuntiatis, confeſtim volentes nolentes in eius venire poteſtatem. His alijſque mendacijs, & Regi & Matri perſuaſũ, vt Conſaluũ quoque primo tẽpore interficiendum curarent. Necdum ea conſilia eruperant, clandeſtinis agitata colloquijs, cum ad Caiadũ Conſaluus: haud ignoro, ait, mihi nunc, nec imparato mortem inſtare à Rege. Neque id mirum à Cõſaluo prędictam mortem, quam ab ipſa Luſitania perſpectam habue-

rat, & amicis nonnullis indicarat. Aduenerat dies necis, aut vitæ potius, decimus quintus Martij, qui idem natalis S. Suſannæ Virginis & Martyris, anni 1561, cum ab Antonio Conſaluus magnopere petit Luſitanos duos treſue ad ſe confeſtim accerſat, Confeſſionem inquit, illorum tuamque ſcilicet excipere, & ſacra Euchariſtia hodierno die reficere vos omnino conſtitui, non enim poſtea potero; itaque ille dum abſentes euocat Conſaluus ad meridiem vſque pręſtolatus, cum non adeſſent, cõſecratas conſumpſit hoſtias duas, factiſque eodem die chriſtianis 50, veſtem ad corporis cultum & Deiparæ Roſarium ad precandum ſingulis diuiſit, Luſitanos ſub veſperam Cõfeſſionis ſacramento, quia Euchariſtię non licebat, purgatos, mira vultus hilaritate animique tranquillitate animabat, inſcios

quid

Digitized by Google

quid ille conditum haberet animo: ijſdem apparatum ſacrorum dat in ædes Antonij deferendum, ipſe linteatus cum effigie Chriſti ad Crucem affixi, domi remanſit, reuertentique rurſus Caiado pectus hominis manum leuiter apprehendens, Antonij (inquit) paratior ego ſum ad mortem obeundam, quam ipſimet inimici ad inferendam; Regi autem & Matri libenter ignoſco: Mahometanorum quippe artificijs & dolis inducti ſunt: hæc ille ſerena facie, ore hilari cum dixiſſet, Antonius ab eo digreſſus tametſi vix fieri poſſe putabat, vt Rex tam nefario ſcelere ſe obſtringeret, tamen quoniam ex recenti quodam ſermone eius animum exulceratum contra quam exiſtimaſſet offenderat, famulos duos ad cuſtodiendum ea nocte Conſaluum miſit, à quibus ea quæ ſequuntur, accepta ſunt. Conſaluus, cum ſecus

diuerſorium in area ad multā noctem (quaſi è corporis cuſtodia exire geſtienti mora nimis longa videretur) ita citatis greſſibus ambulaſſet, oculis ſemper intentis in cœlum, manibus modo ſublatis ad ſidera, modo in crucis figurā extenſis, ducens ex intimo corde ſuſpiria; tum denique tugurium ſubiuiſſe, fuſiſque precibus corā Chriſti effigie quod vnum ſupererat ſolatium, in arundinum ſtratū decubuiſſe, & in ſomnum incidiſſe iuſtorum; id enim ex inſidijs conſpicati ſatellites octo, mox irrumpunt. In ijs barbarus nobilis nomine Mocrumes, qui ſæpiſſime conuiuium cum Conſaluo inierat iacentis pectus opprimit, inſidetque; arreptum inde pedibus ac brachijs humo tollūt alii quatuor, duo reliqui iniiciūt funem, quo vtrimque adducto Conſaluus expreſſam ex ore, naribuſque magnam ſangui-

guinis copiam effudit, & ſimul ſpiritum Deo reddidit intaminatum. Defuncti corpus in præterfluentem Mogenſellem interfectores deiiciunt, ne, quod Mahometani confinxerāt, cadauer ipſum tam malefici hominis ſub dio relictum veneni ſui tabe cunctos inficeret. Hic fuit exitus eximii Deiparæ Cultoris martyrij laude digniſſimi: nam tametſi quam Rex deluſus cauſam habebat inferendæ necis, idoneam quis non cenſeat, at quam perfidi Mahometani mendacijs, ac dolis prętexuerant, alia non erat quam fidei, ac pietatis, qui de Baptiſmo quoque calumniati, non diſſimulabant. Neque diu poſt Rex pœnitentia ſingulari ductus culpam in ſuaſores impulſoreſque reiecit, ex iiſque duos digna talionis pœna pro meritis mox interfecit, alii mature capta fuga ſibi

conſuluerant, tum vero alij quoque Sacerdotes è Societate ſunt ſubmiſſi ad cœpta promouenda felicem habitura progreſſum, eius eccleſiæ fundamentis tam innocēti caſtoque ſanguine poſitis ac rigatis.

CAPVT XIIX.

De B. Ioſepho Anchieta Braſiliæ Prouinciali, miræ ſanctitatis, ſæculi huius Thaumaturgo.

EXTANT Ioſephi res geſtæ admiratione ſane digniſſimæ, multorum literis conſignatæ, quas repetere non eſt animus, ſed ex ijs quędam de eius in Virginem Matrem ſtudio, Virginiſque aduerſus eum patrocinio delibare. Inſulæ ſunt quæ priſcis Fortunatæ, nouo nunc nomine Canarinæ dicuntur, in quarum vna quę Zanaripha dicitur, Ioſephus anno 1533 Patre Can-

Cantabro, Matre indigena natus eſt: vtroque & honeſtæ apud ſuos familiæ, & amplę florentiſque fortunæ, & quod caput eſt, Chriſtianæ Religionis ſtudioſo. Itaque diligentem eius educandi curam in virtute ſuſceperunt, & cum primis linguæ Latinæ rudimentis in patria quantum puerilis ætas patiebatur, informatus eſſet, Conimbricam eum in Luſitaniam cum fratre natu maiore miſerunt, in Gymnaſio Societatis inſtituendum. Hic cum ingenij laude cito decurſis humanitatis & Rhetoricæ ſtudijs deguſtatâ etiam logica; cum in templo die quadam ante altare B. Virginis in genua pronus oraret intentius; ita ſenſibus intimis affici cœpit, ad earum virtutũ amorem, quas Deiparæ placere ſciret, vt è veſtigio virginitatem, quam ſingulari Dei dono ad eam diem illibatam ſeruarat, Virgini Matri voto dicarit: ad

id ve-

Digitized by Google

id vero depoſitum integrum tuto & abſque periculo ſeruandum mox religioſam amplecti vitam in Societate Ieſu decreuerit, in quam haud difficulter, cum nota eſſet eius probitas, atque indoles, admiſſus eſt, annos natus ſeptemdecim; dum vero tyronum more exercetur, & pietatis illectus dulcedine, diu ſupplex genibus nixus, octo, interdum pluribus ſacerdotibus miniſtrat, corpore nondum ad labores durato, artus eo loco quo femora circa ſacrum os, & vertebrā nectuntur, acerbo cum dolore fatiſcere cœperunt: quod cum occultaret, ac zonam quam arctiſſimè ad lumbos adſtringeret maiore niſu quam res ferret, femorum globuli è coxendicum ſinibus excuſſi, ſeu in curatione minus rectè reſtituti fecerunt, vt luxato dorſo humeriſque per omne tempus non ſine deformitate vixerit. Cœterum

Cœterum ſiue hac, ſiue alia cauſa natus languor, cum triennium vexaſſet adoleſcentem, Patres ex medicorum conſilio in Braſiliã mittere conſtituunt, haud dubia ſpe, mutatione cœli ſolique, recuperandæ valetudinis. Anno igitur Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio 3. Idus Maij, annos iam viginti natus, cũ Eduardo à Coſta nouo Prætore, & ſex aliis de Societate ſoluit Oliſſipone ac fœlici curſu appulit in Braſiliam. Poſtquam ſe ex morbo & nauigatione recreaſſet, à Patre Nobrega euocatus, primus omnium è Societate Latinas litteras docere cœpit, ſchola inſtituta Piratiningæ; cumque illis deeſſet librorum copia, ſua ipſe manu quæ diſcenda erant in libris papyraceis deſcripta dabat, vt noctes illi propemodum omnes ducendæ forent inſomnes. Atque vt mire eſt

doci-

docilis charitas alio in genere plurimum etiam rudibus illis populis profuit: cum enim Braſilienſium multi morbo perirent, ſecare venã aggreſſus, vitam multis mortalibus conſeruauit: ſed hæc aliaque eius generis infinitum ſit perſequi. Cum ad Thamuyas barbaros Nobrega, adſcito comite Ioſepho, legatus pacis adiiſſet, idque negotiũ protraheretur longius; & ad id cõficiendum, priuataſque Societatis rationes Nobrega rediiſſet in opidum S. Vincentij: relictus obſes ſolus Ioſephus triginta natus annos, ſine comite, ſine teſte in tota Barbarie, magnum ſubiit & vitę & animi ſalutis periculum; ſed Dei Matris præſidio & patrocinio tutus fuit. Hic etenim non modo nudis tum viri tum fœminæ corporibus incedunt, obuiæ ad prauitatem illecebræ, verum mos illi genti eſt vti primores, legatis, quo ſibi eos

per-

pergratos eſſe demonſtrent propinquarum mulierum copiam offerant, nec in ea labe quidquam inhoneſti opinãtur, ac perinde eſt eis ad eam hoſpitalitatem atque ad compotationes amicos inuitare: qua vero ſunt feritate, maxime delectantur humanis carnibus, & perinde eſt illis hoſpites, atque altilia ad gulæ ſacrificium addicere. Hinc igitur vitæ periculum Ioſepho hoſtium immanitas & feritas, illinc animi integritati labem fœdi incolarum mores intentabant, ſed vita neglecta eaque penitus Dei prouidentię commiſſa, ad animi tuendam arcem defixa in Deum cogitatione totum ſe conferebat, eratque ei ſolemne vt modica noctis parte quieti conceſſa, reliquam diuinis precibus ac commẽtationibus attribueret, interdiu vero coercitis ſenſibus à diuina numinis præſentia cogitanda num-

quam

Digitized by Google

quam animum abduceret id in eo periculo, & abſurdarum rerum incurſu multo faciebat intentius, ne qua turpi earum ſpecie commoueretur. Ad hæc ieiunia, flagella, cilicia, aliaſque corporis adhibebat aſperitates, quibus reluctãtes animi motus cohibentur & mens in Deum ſeſe liberius erigit. imprimis vero diuinam Matrẽ aſſiduis votis ac precibus aduocabat, cuius tutelæ iam pridem ſe commiſerat, cuiuſque patrocinio ſe fore tutum confidebat, nequis è camino Babilonis ad animũ vapor afflaret. Tum vero qua erat in ſanctam Dei Matrem pietate adiicit animum ad eius laudes Latino verſu celebrandas: ſed quæ pangendi copia in tanta barbarie? non libri, non charta, non ſtylus quidem, aut alia res ad exaranda elementa ſuppetebat; quia tamen ſanctiſſimæ Matri id promiſerat dono

dono memoriæ, quo excellebat, ſibi vtendum cenſuit, atque à puriſſimo eius exorſus conceptu omnem eius vitę ſeriem vſque ad aſcenſum in cœlos, & diadema regni cæleſtis eius ſacro impoſitum vertici elegiaco carmine pertexuit, omnibus vitæ partibus, myſteriiſque diſerte explicatis, figuris & oraculis quæ de ſacris litteris & ſanctorum Patrum monumentis erui poſſunt, illuſtratis. Quod illi non ad fructum modo pietatatis, verum etiam ad vitam & libertatem profuit, & quod imprimis optabat tractatione diuinarum Deiparæ Virginis laudum mentem ab omni rerum quæ ſub aſpectum incurrebant, abſurditate vindicauit, puramque & tutam ab omni labe ſeruauit. Idque Sacerdoti, poſt alteri non obſcure declarauit, quem & ab obuerſantibus eiuſmodi fœdis imaginibus

nibus ſua precatione liberauit: Interea barbari Thamuyę (etſi Ioſephus eſſet admirationi, & diuinũ aliquid in eo venerarentur) ab inſita tamen feritate cum videretur negotium de pace duci longius, quaſi moræ impatientes mortem illi non raro minabantur, diemque certam denuntiabant, qua die more ſuo eſſent eum feſtis epulis voraturi: para te (inquiebãt) Ioſephe, & ſatis te luce ſatia, nam te in certum diem ad feſtum conuiuiũ deſtinauimus: his autem placide reſpondebat, Non me interficietis, nondum enim venit hora mea: cũque ex eo poſt quęſitum eſſet, qua id fiducia tam conſtanter ſibi polliceretur, Matris (reſpondit) Dei promiſſo, non permiſſuram ſe mihi vitam eripi, niſi ea quæ de illius vita & laudibus meditarer perfeciſſem, quod ſane contigit. Vltra tertium menſem in his pijs ſtudijs

dijs barbarorumque minis tanquã ſaxum inter & ſacrum ſummæ vir innocentiæ verſatus, fæliciter tandem Dei ac B. Matris ope confecta pace, ſumma omnium lætitia, deducentibus eum Barbaris ad ſanctum Vincẽtium rediit incolumis, atque ex longo exilio ærumniſque recreatus contulit ſe ad ea perficiẽda & polienda, quæ in hoſtium poteſtate, de B. Virgine commentus erat. Carmen in bis mille octoginta ſex diſticha extenditur, adiuncta ad calcem eiuſdem metri apoſtrophe, cuius hoc fragmentum eſt publicatum.

En tibi quæ voui mater ſanctiſsima quondam
Carmina, cũ ſæuo cingerer hoſte latus:
Dum mea Tamuyas præſentia mitigat hoſtes,
Tractoq; trãquillũ pacis inermis opus.
Hic tua materno me gratia fouit amore,
Te corpus tutũ, menſque tegente fuit.

Sæpius

Digitized by Google

Sæpius optaui, Domino inſpirãte dolores
Duraque cũ ſæuo funere vincla pati.
At ſunt paſſa tamen meritam mea vota repulſam;
Scilicet Heroas gloria tanta decet.

Attexam & ex eius epiſtola ad Franciſcum Eſcalantium quod habet ad extremum. Beatam imprimis Virginem, Reginam Noſtram tota vita adiutricem fac habeas, eique pro me interdum preces offer. Et in alia; propitiam valde & ſtrenuam habes adiutricem ſanctiſſimam Virginem Reginam noſtram Dei matrem, ne te ab illa abiungas, ipſamque perpetuo roga, ne nos deſerat, ipſius enim ope omnia poteris. Miracula ipſius per Virginem patrata nonnulla referam ſuo loco, ſed vnum tamẽ hoc loco ſiue miraculum, ſiue beneficium non reticebo. Cum ad milites duos transfugas, impetrata delictorum venia reuocandos iter flumine faceret

ceret, & lintre, ſeu vt vocant, Canoa, veheretur ex cortice trabis vnius confecta, euenit, dum ſacram perſolueret pſalmodiam, vt linter abruptus in fluminis alueum, aquarum impetu prouectus vna cum vndarum ruina & cataractis in ſubiectã foſſam demergeretur, omnibuſque nando ad litus appulſus ſolus Ioſephus imperitus natãdi ſub vndis deliteſceret. Itaque in medio alueo ſedens, ab vrinatore Braſilienſi qui ſe ſecundo deiecerat inuentus, cum ſemihoram hæſiſſet in aquis, apprehenſa lacinia extractus periculo eſt ereptus; ſemper ſuæ mentis compos triumque rerum, vt narrabat, memor, Ieſu, Marię, & ne de flumine biberet. E tanto periculo ſeruatus, madida veſte, cũ ne ſudariũ quidẽ haberet reliquũ peregit iter & milites aliquãdo volẽtes reduxit. Obiit Ioſeph' Recitibitæ, ſacramẽtis rite cõmuni-

munitus 9. Iunij 1597, præſentibus quinque ſacerdotibus, qui in eo vico reſidebant, anno ætatis 64 Societatis 47; è quibus tres in Luſitania, quatuor & quadraginta in Braſilia tranſegerat.

CAPVT XIX.

De Patribus Belgis, Petro Caniſio, Cornelio Viſchauæo, Franciſco Coſtero.

PEtrus Caniſius, cuius extat accurate perſcripta vita tum à Mattheo Radero, tnm à Franciſco Sacchino, primus è Belgis ac Germanis Societatem iniit, anno ab ea confirmata tertio, ſingulariſque eius fuit in Germania propagator, & quodammodo parens, ſimulque precipuum columen orthodoxæ religionis. Natus eſt Neomagi vrbe Geldriæ, parentibus honeſtiſſimis & pientiſſimis circa id tempus quo B. Ignatius ad ſanctiorem vitam

tam eſt conuerſus. Iam tum igitur à prima infantia, in omni pietate ſanctiſſime educatus eſt Caniſius, quo in genere magiſtram & parentem habuit nouercæ ſororem, domeſticos intra parietes ſanctimonialem. Ab ea, quam materteram appellat author hiſtoriæ Societatis, Sacchinus à vidua quadam Arnhemij celebris ſanctitatis ante Societatis auditum nomen, diuino inſtinctu atque afflatu prænuntiatum Petro narrant, de Societate eum futurum. Tu (inquit) fili cooptaberis in nouum quendam Sacerdotum ordinem, quem in Eccleſia ſua ad reformationem eius, & multorum ſalutem parat Deus: Ego eos per viſum vidi, & te ad eos adiungi: graues erunt viri, modeſti, Deo pleni, & animarum charitate præditi, bono igitur fac ſis animo, & ſpe huiuſmodi te ſuſtenta; nam breui à Deo potieris hoc do-

Digitized by Google

no. Quamobrem nihil dubitandũ ſingulari Deiparæ prouidentia, ac benignitate id prouenisse,vt & Caniſio Societas, & Societati Caniſius pararetur. Cuius ille Deiparę gratiam beneuolentiamque tum innocentia ac ſanctitate vitæ, tum vero nuncupato Virginitatis voto feſto die S. Matthiæ annos natus nõ pluſquam ſeptendecim ſibi cõciliarat. Integritatis hunc florem eiuſdem ope ad extremam vſque ſenectam ſeruauit illibatam, & ſecũ deuexit in cœlum. Ac de Caniſij in Virginem Dei Matrem affectu minime conquiſitis opus eſt teſtimonijs, cum eius præclarum de Maria Virgine incomparabili, ac Dei Genitrice ſacroſancta monumentum, quo fuerit in eam animo & ſtudio demonſtret: opus ſane dignum authore ſuo, Marianum: de quo Cardinalis Oſius inter cætera ſcribit ad Caniſium; non obliuiſce-

tur

tur huius operis tui tam ſancti Virgo ſanctiſſima, quã ſic ornare ſcriptis tuis conatus es; vt vix quiſquam ſit à quo magis fuerit illuſtrata. Conſtitutus à B. P. Ignatio Germaniæ Prouincialis, annos quatuordecim eum Magiſtratum geſſit ſummis in laboribus, ac denique poſtremos vitæ ſeptendecim Friburgi Heluetiorum procul à curarum ſtrepitu, in ſanctæ obedientiæ ſinu, totus ex Martha vt optabat Magdalena factus, ſanctiſſime exegit; diemque obijt extremum feſto S. Thomæ Apoſtoli 1597. ætatis 77. Hauſerat pridem à Patre Fabro omnem orandi mente ac contemplandi rationem, eamque continenter vſurpabat; nullo tamen non die ſemel atque iterum, atque adeo ſæpius Deiparæ Roſarium orando percurrebat, vt mirum non ſit ſi ab eius obitu Roſarium illud parturientibus ſæ-

 pe ex-

titerit ſalutare. Qua vero ratione compararit Societati Cornelium Viſcauæum, ex confuſa memoria parum conſtanter proditur, tamẽ id quod à Sacchino narratur veriſimillimum eſt, Caniſium litteras ad præceptorem ſuum Nicolaum Eſchium qui tum Dieſtemij degebat, dediſſe, vt Stradæ conſilia de perfectione Euangelica non grauaretur audire, & quas ille mẽtis exercendæ vias proponeret: verum Eſchius Stradã tãto ſe inferiorẽ ętate magiſtrũ renuens, Cornelium illi Viſcauæũ laudatiſſimum Louanij Sacerdotem ingeſſit, ac quodammodo ſibi ſubrogauit. Cui cum literas Eſchij Strada reddidiſſet, cõtinuo ex eius aſpectu ſe eripuit. Cornelius tacito Deiparæ admonitu quo loco Strada ſibi eſſet reperiendus, hominem adit, & inita cum eo familiaritate Societati ſe penitus conſecrauit, magno ſuo &

Loua-

Louanienſiũ ſociorum bono, quos domi ſuæ recepit. Hic vero egregie exercitus eſt à Fabro, quod periculum eſſet, ne viro bono & ſimplici angelus præſtigiator illuderet: adeo parum tuta eſt ſine ſuæ voluntatis abdicatione, & mortificatione celſiſſima etiam mentis contemplatio. Quamquam Cornelius iam ante initam Societatem tam ardenti pœnitẽtiæ ſtudio corpus ſuum edomuerat, vt quatuordecim ipſis annis ſiue ad tutelam Virginitatis, quam perpetuo coluiſſe creditur; ſiue ad placandum conciliandumque diuinum numẽ, textum horrenti crine cilicium cõtinenter induerit. Atque vt cæteras res eius geſtas ſilentio prętereã, maximus fuit numerus Virginum quas ille Deo conſecrauit, quę ſuę florem integritatis partim intra ſepta cœnobij, partim domeſticos intra parietes eo authore diuino

Lib. 4. hiſt. Societ. n. 4.

numini ac B. Matri dedicarunt. Quin cum Meſſanæ verſaretur in Sicilia, communis ea vox iactabatur in vulgus, Virginem ea in vrbe aut viduam reperiri non poſſe, quā non ille Deo, ſi in eius ſorte manus incidiſſet, cōtinuo deuoueret. Qua populi voce Virgines inductę tres, quæ certo deliberatoque iam animo mortales ſibi ſponſos deſtinarant, cū ſe Cornelio vt eius rei periculum facerēt credidiſſent, magno ſuo bono ſenſerunt vera eſſe, quæ de eo fama ferebat. Princeps ex ijs cum confeſſionis nomine acceſſiſſet, in medio curſu repente mutata, non prius enumerādi peccata finem fecit, quam vt Patri ſibi in animo eſſe confirmaret, non aliū ſpōſum quęrere pręter Chriſtum, cujus ille mente, conſilioque probato, & collaudato, ne quid duabus comitibus indicaret, admonuit, acceſſit deinde altera, & ſuo

Lib. 12. hiſt. Societ. n. 31.

or-

ordine tertia, ſingulæque in eandē mentem, cum aliæ de aliis nihil omnino noſſent, repentino Dei afflatu ſimul impulſæ, terrenas extemplo nuptias cum cæleſtibus cōmutarunt. Ita quæ per ludum experiendi cauſa venerant, eæ ipſæ ſanctius veriuſque deluſæ, & meliore imbutę ſpiritu, diſceſſerunt. Mulier erat ſuper cæteras flauo rutiloque decora crine, quo cum nimium ſibi ipſi placeret, & plauderet, cœnobii nomen horrebat, ne cogeretur aliquando decus tundēti committere; monet illam Cornelius ſi pluris illa crines quā Deū faceret, caueret ne in illis ipſis crinibus quos tantum diligeret, pœnas daret. Diebus interpoſitis non ita multis, ſenſit Patrem veriſſimū fuiſſe vatem; laborare ex capite cæpit, totaque illa pulchritudo capilli, morbo vrgente defluere: ergo ne caluitiei turpitudinem, euulſis ad

vnum crinibus, oſtentaret, neceſſitatem in virtutem vertit, cœnobiique ſeſe latebris quod ante horruerat, occultauit. Iure igitur Viſchauæum Deiparæ paranymphum eſſe dixeris, qui non contentus ipſe eius honori ſuam conſecraſſe virginitatem, quamplurimas eidem virgines conciliarit, quæ in lætitia & exultatione in diuinum eius gynæceum adducerentur.

Extremus omninm qui B. Ignatium viderunt, eique conuixerũt in Societate nuper mortem obijt Bruxellis ſexta Decembris anni 1619, P. Franciſcus Coſterus, patria Mechlinienſis, cum attigiſſet ætatis annum octogeſimum octauum & in Societate ſexageſimũ ſextum: cuius in Beatiſſimam Virginem quam à prima iam adoleſcentia ſingulari pietatis ſtudio coluit, extant pręclara argumẽta, meditationes de eius vita & laudibus,

in

in Antiphonam ſalue Regina, & hymnum Aue maris ſtella, tum libellus Sodalitatis: quam Sodalitatem, & in Rhenana, & in Belgicis prouincijs inſtituit, cum in vtraque Belgij & Rheni Prouincia Præpoſitus eſſet Prouincialis. Miſſus à B. Ignatio Coloniam ad primordia Collegij, prouinciam ſuam pereruditа & venuſta Geneſeos explicatione plurimum illuſtrauit. Abeũti tria commendarat B. Ignatius vt ipſe memorabat, humilitatem, obedientiam, animos lætos: quę ſane tria ſemper expreſſit, moribus ad extremam vſque diem commodiſſimis ac ſuauiſſimis: ac memini me non ſemel ex eo audiſſe cum diceret iam octogenarius, nolle ſe emori moroſum ſenem. Sed erit qui vitam eius aliquando, dictaque colligat. Nihil illi per omnem vitam accidere gratius poterat, quã ſi quis B. Matris miracula, & egre-

gia facta narraret, amabatque tenerè quotquot eius amatores reperiſſet. Breue illi erat omne tempus in ſanctiſſimę Matris laudibus audiendis aut narrandis, & totus interno quodam gaudio inter eiuſmodi colloquia liqueſcebat. Exiſtimatur autem ſingulari B. Virginis beneficio duo quædam, quæ miraculi ſpecie non carent, aſſecutus. Vnũ vt in maximis, continuiſque tum ſcribendi, concionandi, regendi, omni ope proximos adiuuandi laboribus, quos ſupra vires humanas tolerabat, plurimiſque profectionibus quas pedes plerumque cilicio munitus obibat cum Prouincialis munere fungeretur, vel cum in vrbem procurator, aut ad generalem congregationem eſt delegatus, ad annum vſque octogeſimum octauum ne vna quidem die tentatam valetudinem ſenſerit: alterum quod illibatum caſtitatis

florem

florem, & quam à parentibus acceperat integritatem corporis abſtulerit è vita, morienſque Deo ac ſanctiſſimæ Matri reddiderit, ne minima vnquam corporis commotione, & ne praua quidẽ cogitatione per omnem vitam, abſurdaue ſpecie pulſatus; quod non vnus ab eo in familiari, pioque colloquio accepit. Hæc Deiparæ cultorum eximia merces. Felices animæ quę ab omni ſe terrena concretione ſeiungunt, & in amantiſſimæ tandẽ Matris gremiũ euolant expeditæ.

CAPVT XX.

De Thoma Sanchez, & Franciſco Suares, præſtantibus doctrina, & ſanctitate Theologis.

CLARISSIMVM fuit vterque S. Theologiæ lumen, Sanchez

moralis quæ de Conſcientiæ quæſtionibus, & Chriſtiani hominis officiis explicatur, Suarez ſcholaſticæ doctrinę accuratius, ſubtiliuſque diſcuſſæ; magnum quoque fuit vterque ob innocentiam vitæ & ſanctitatem noſtri ordinis ornamentum. Nam quod vix credibile videatur in illis cum excellente reconditaque doctrina, certauit egregia quædam & abſoluta virtus; cum attentiſſimo literarũ ſtudio intentiſſimus pietatis affectus; cum ſummo honore & apud omnes ordines æſtimatione, ſumma ſui deſpicientia, ac profundiſſima humilitas; cum ſapientia ſingulari iudicioque peracri, candor animi ac ſimpliciſſima, cęcaque obedientia. Cum Societatem haberet in votis Thomas Sanchez, nec ſemel repulſam, paſſus eſſet à moderatoribus, quod impeditioris eſſet linguæ, & in ſingula verba fæde

bal-

balbutiret; quo erat in beatiſſimã Virginem, iam tum à primis annis pietatis affectu, contulit ſe ad eius templum Cordubæ, quod miraculis clarum à ſancto fonte nomẽ habet, & genibus flexis ante aram Virginis, ſupplex profuſis vbertim lachrymis enixiſſimè contendit à Clementiſſima Matre, impedimẽtum illud auferret, profeſſus domũ ſe minimè rediturum, niſi id quod flagitabat, impetraſſet; nec irritę cecidere preces, clientem ſuum Mater miſericordiæ benigne audiit, & mox balbutie liberauit, tenui dumtaxat relicto veſtigio, ad memoriã beneficii, quod ille deinceps ita grata memoria coluit, vt quoties ex interuallo Cordubam repeteret, etſi intempeſta appelleret nocte, prius tamen ad ſalutãdam in ſuo templo ſanctiſſimam Virginem, quam ad noſtrum Collegium adiret, poſtridie vero in
ſacello

ſacello ſancti fontis rem diuinã faceret, diemque integrum eodem in loco gratiſſima & ardentiſſima meditatione tranſigeret. His auſpicijs in Societatem ingreſſus quos ſibi propoſuerit altiſſimos virtutum fines, quoſque ſumma animi contentione ſit aſſequutus, nemo facile dixerit; cum ſtatuiſſet in ſpiritualem virtutum & meritorum quæſtum non ſecus incumbere, quam ſoleat cupidiſſimus ſtrenuuſque mercator nullam augendæ pecuniȩ occaſionem prætermittere. Nõnulla habet de præclaris eius virtutibus P. Crombetius, cognitione, & imitatione ſane digniſſima, cum illud de orandi ſtudio quod ipſe Sanchez in libello annotarat: Omnis mea cura & ſollicitudo erit, Sanctiſſimum ſacramẽtum, Ieſus Crucifixus, Virgo Maria, erga quam ſingulari ſtudio afficiar, ad illam vt Matrem in omnibus

Crõbetius l. 2. de ſtudio perfect. q. 12.

bus

bus neceſſitatibus, difficultatibus, ſtudiiſque recurram: per eam Deo gratias agam, pro quouis opere facto in Dei obſequio; per eam veniam precabor pro quouis defectu admiſſo; per eam illos Deo commendabo, qui mihi moleſtiam aliquam exhibuerint. Illud ſane perquam admirandum, quod & in ceteris fere primoribus PP. licet obſeruare, (cum eſſet innocentiſſimæ vitæ, vſque adeo vt qui eius de tota vita cõfeſſionem excepere, fidem faciant, nullius vnquam lætalis culpæ noxam contraxiſſe) cũ eſſet preterea tenuiſſimæ & infirmiſſimæ valetudinis, quam aſſiduis ſtudiorum laboribus non debilitarat modo, ſed penitus exhauſerat (nam quotidie decem minimum horas non remiſsè, ſed contentè libris impendebat) tamen vſque ad extremum ſpiritum, vſque ad eum quo ereptus eſt, morbum, in rigi-

diſſi-

diſſima carnis maceratione, in victu cultuque aſpero, & vigilantiſſima ſui cuſtodia & abnegatione ſenſuum continua, perduraſſe non ſecus, ac ſi grauiſſimorum ſcelerũ reus, tum primum ad placandum numen arduum pœnitentiæ inſtitutum arripuiſſet. Semel tantum in die ſub noctem cibum capiebat, eumque permodicum & tenuem, quater in hebdomada pane tantum & oleribus vitam tolerabat, tota quadrageſima, & aduentu nihil ad panem præter olera & fructus aridos adhibebat; peruigiliis Chriſti Domini & ſanctiſſimæ Virginis pane dumtaxat, & aqua ieiunabat, omnia gulę irritamenta ſalem, piper, acorem, & quidquid palato arrideret, ſummopere fugiebat; elixa olera per ſe inſipida, oleo & aceto non condiebat, corpus ſuum acerrimè quotidie verberibus cædebat, aſperoque afflictabat cilicio.

Eo ip-

Eo ipſo quo abreptus eſt morbo cum in lecto iaceret febri æſtuans quam ardentiſſima, ad tertium vſque morbi diem appreſſum carni cilicium geſtauit, & in hac exhauſti corpuſculi victoria conſtantiſſime ſpiritũ Deo reddidit 19. Maij peruigilio glorioſę Chriſti Aſcenſionis anni 1610, ætatis 60 ineunte, Societatis initæ quadrageſimo quarto, magno ſui deſiderio Granatẽſibus, Epiſcopo, ſenatui Regio, Ordinibus vniuerſis maximaq; virtutis opinione relictis. Quamdiu quidem eruditiorum manibus teretur, vti ſit adhuc, ſecundus Frãciſci Suarez in tertiam S. Thomæ partem commentariorum tomus, non modo quis & quantus vir ille fuerit, quam acri iudicio, ingenioue ſubtili, quam abſtruſa reconditaque doctrina, vt omnia ad Theologicum vnguem excuteret, & penetraret acumina; verum & quam

ſtudio-

ſtudioſus ſanctiſſimæ Virginis Dei Matris, quam addictus eius honori cliens, vti ejus laudes omnibus ingenii viribus celebrarit; elaboratiſſima hæc eius in omnem poſteritatem monumenta prædicabunt. In operis argumento præfatur longius ſe ſua progreſſum diſputatione, quam ſcholaſtica conſuetudo patiatur, ſed ſcholaſticam eam Theologiam hoc in genere ſibi ſemper viſam plus æquo breuē ac conciſam, præſertim cum de angelorum gratia meritis ac felicitate prolixiſſimè diſputet, neque cōueniat angelorum Reginam breui compendio perſtringi; quare ſatiſfecit ipſe ſuæ pietati, & in Deiparam propenſiſſimæ voluntati, ita præclarè hoc elaborato tomo, vt quod optarat aſſecutus ſit, & pietatem veritate fulcierit, & veritatem pietate condierit. Quod attinet ad Dei Matris dignitatem ac maie-

Digitized by Google

maieſtatẽ eiuſque ac Chriſti Domini vitam reſque omnes geſtas vel conquiſitis vndequaque difficultatibus explanandas, vel è penitiore Theologia ratiocinationibus firmandas, vel ſacrarum litterarũ & ſanctorum Patrum authoritatibus illuſtrandas, nihil ab eo eſt prętermiſſum. Eminent tamen præ cæteris diſputationibus tertia & quarta de tempore & perfectione primæ ſanctificationis Deiparæ, eiuſque puriſſima, & immaculata conceptione, tam explicata dilucide, ſolideque, vt nihil ſuperadiici poſſe videatur, quo fiat iſtud dogma vel apertius vel certius. Exceſſit præterea diſputatio 18 de perfectione meritorum & gratiæ B. Virginis: quo in genere cæteros sãctos longo interuallo ſuperare demonſtrat, ita vt ſi in vnum aceruũ ſimul cogatur reliquorum gratia & gloria, illam tamen excedat ſanctiſ-

ctiſſimæ Matris beatitudo, de qua dictum illud eſt myſtico ſenſu, fundamenta eius in montibus ſanctis. Verum hæ diſputationes ſuis locis legentur attentius; hoc autem habebat in more Suarez, vt difficiliores quoſque Theologiæ nodos, quos haud facile ſtatum exſoluere poſſet B. Matri velut conſultandos & explicandos, facta prece, proponeret: quæ in prę̨lectionibus aut elucubrationibus incidiſſent dubia, ea omnia cum optima parē-te & Magiſtra conferebat, & non ſemel in ipſo palam ambulacro coram B. Virginis effigie viſus extemplo genua flectere, ei gratias agere, de ea quam diuinitus acceperat illuſtratione, dubitationiſq; quā mente tractabat ſolutione. Ita vero erat addictus orationi, quæ ex instituti noſtri præſcripto hora quotidie ſtata mente peragitur, vt lōge omnino à ſtudijs omnibus peni-

penitus auocari maluiſſet, quã vnica illa meditatione ſua culpa priuari. Tantũ aberat vt in ſtudiis magnopere ſibi ipſe placeret, aut ſe circumſpiceret magnifice, vt cũ Rectore ſæpe deliberarit, an à R. P. N. Generali etiam id efflagitaret vt plane à ſtudiis ſeuocaretur, & ad culinę obſequia infima quibus ſe indicabat aptiſſimum, amandaretur. Abſtinuit prãdio per annos 40 tenui cænula contentus, quę cõſequentem mox precationẽ nihil impediret. Noctes ſæpe ducebat inſomnes, aut abſque linteamine defeſſa quieti mẽbra cõponebat; nullo non die ſeipsũ acerrime verberabat; diebus Mercurij, Veneris, & Sabbathi arctiſſimè ieiunabat. Ianitorẽ monuerat, vt quoties quis generaliter vellet de peccatis cõfiteri, neque certum alium Sacerdotem euocaret, ſe accerſeret, & ſumma patientia & zelo quibuſ-

vis

vis pœnitentibus aures dabat. Accidit, vt Ianitor eum ad colloquium viri grauis euocaret, cumq; tertio iam pulſaſſet fores, nec vllus reſponderet, intrauit aperta ianua & patrem eleuatum à terra conſpicit, duobus fere cubitis, totumque cubiculum diuino lumine colluſtratum: ſed eximius quidam radius in faciem Patris è Crucifixi vulneribus ſacris euibratus conſpiciebatur. Ille ergo ſilenter diſceſſit, & præ foribus iterum iterumque Patris nomen inclamauit: Pater intelligens ſe in ecſtaſi deprehenſum à fratre, eum ſanctè adiurauit ne ſe viuo cuiquam illud aperiret. Sed quæ tanti viri commendatio poteſt vberior aut certior afferri quam quę duplici diplomate pontificio continetur, quorum altero tertio Kalēdas Maii anni 1612 gratulatur Pontifex de eius pietatis zelo atque doctrinæ; & mox *Diligimus*

Digitized by Google

gimus te in Domino, & charitas noſtra erga te ſemper augebitur, quoties audierimus te ſemper diligentius, maiorique cum fœnore negotiari talenta, quæ ab æterno Patreſamilias acccepiſti: altero 15 Auguſti anno 1617 hortatur vt pergat ſcribere ad Dei honorem & S. Eccleſiæ; *in qua ita excellis*: *Nouimus enim quanti ſit ponderis authoritas tua ad eradicanda zizania, quæ inimicus ſerere conſueuit.*

Quamquam fuit eius excellens perfectaque doctrina, tamen eius animi demiſſionem pietatemque erga Virginem Matrem longe prætulerim. Ac quoniam de Virginis Immaculata Conceptione ingeſta eſt mentio, quę in ea tuenda & explicanda noſtri homines elaborarint, obiter indicabo.

Obijt Suarez 15. Septembris 1617.

CAP.

CAPVT XXI.

Quid hactenus præſtiterit Societas Ieſu ad aſſerendam Deiparæ Virginis Immaculatam Conceptionem.

QVANQVAM ſancitum eſt in Conſtitutionibus à B. Ignatio, vt in ſacræ Theologiæ prælectionibus, doctrina S. Thomę cæteris anteponatur, vt imagis vſitata, certa & ſecura; quod & in quarta Congregatione Generali decretū eſt, tamen excipienda ſemper fuit, vti eam diſertè excepit quinta Cōgregatio, ſententia illa S. Thomæ quam vſurpatam temporibus illis tradidit in Summa, de Virgine Matre in communi originario peccato concepta; nā ab eo peccato Virginem Dei Matrem immunē extitiſſe, ab ipſo primitus inſtanti conceptionis, eamque conceptionem

Imma-

Immaculatam, ſanctam, ac pio cultu religionis obſeruandam, ſemper vbique & verbo, & ſcripto ſenſit ac docuit noſtra Societas, vt ait ex ea, prçſtans Theologus Gabriel Vaſquez, Quod ſi qui ſua prælo ſcripta vulgauerunt & eam de Immaculata Virginis Conceptione ſententiam, editis in lucem ingenij ſui monumentis prodiderunt, enumerandi ſint, authores laude doctrinæ præſtantes, ſupra tres & quinquaginta comperientur, qui tametſi plurimum authoritati S. Thomæ tribuant, illi tamen, vti par eſt, veritatem anteponunt; non vt olim forte obſcuram, & deliteſcentem, ſed clariſſimis iam ſeſe tũ ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, tum Conciliorum ac Pontificum decretis, tum Patrum authoritatibus, rationum denique firmiſſimis momentis palam efferentem. Theologicus omnino nullus eſt locus è

Iacob. Granadus eiuſdem So. tract. de immac. concep.

quo confirmandæ huic, ad Deiparæ virginis honorem, veritati clara ſolidaque non ſint argumenta deprompta, & luculenter expoſita. Ab authoritate ſacræ Scripturæ ab Apoſtolorum doctrina, ab Eccleſiæ feſtum Conceptionis, toto iam orbe celebrantis communi ſenſu; Teſtimonijs Conciliorum Generalium, Decretis Sūmorum Pontificum, Sanctorum Patrum, Eccleſiæ Doctorum, tum Latinæ Eccleſiæ, tum Græcæ conſenſu; Scholaſticorū & optimorum, præſertim hoc ſœculo, authorum copia, à populi ipſius & omnium ordinum approbatione, à prodigiis & miraculis in eius veritatis, vt videri poteſt, confirmationem effectis, reuelationibus Sanctæ Brigittę, & aliis; à dignitate Dei Matris, à præcellētia eius ſupra omnes angelos, à conſimilibus eiuſdem Deiparæ priuilegiis quæ ſunt illi v-
ni

Digitized by Google

ni cum filio communia; denique à filij Dei Saluatoris omnipotentiá, ſapientia & aduerſus amantiſſimam Parentem effuſiſſima charitate.

Non repeto quod eſt ante commemoratum P. Iacobi Laines in Tridentino perorantis erudita perfectum eloquentia, vt declararent Concilij Patres, decreto de communi huius à primo parente peccati in omnes poſteros propagatione, qui ex eo conſueta connubij lege gignerentur, non eſſe ſuę mẽtis immaculatam Virginem Dei Matrem comprehendere; ſed ſeruandas Sixti 4. Conſtitutiones. Viderũt ſane Patres oculatiſſimi nullum nec è ſacris litteris apertum adeo, generalemue locum, nec è Pontificum, Conciliorumque Decretis, aut ſãctorum Patrum ſcriptis luculentum adeo teſtimomium allegari poſſe, à quo non poſſit

ſanctiſſima Mater eximi, pro ſuo filiique Saluatoris merito; & licet ampliſſimæ abſque vlla reſtrictione de communi originis peccato proferantur ſententiæ, tamen vt aſſeuerat Tridentinum, earum nulla B. Matrem comprehendi neceſſe eſt; nec vnam modo Sixti quarti Pontificis innouat Cõſtitutionem *Graue nimis*, quâ in eos qui alterutram damnant partem immoderato feruore, cenſuræ decernuntur, ſed vtramque, quot nempe ab eo ſunt editæ Conſtitutiones; alteram præcipue *Præexcelſam* quâ fideles omnes ad ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ Conceptionem Immaculatam, propoſitis etiam indulgẽtijs cohortatur. cumque Sixtum in hanc de Immaculata Conceptione ſententiam animo fuiſſe propẽſiorem ambigi non poſſit, in eandem quoque propendere Tridentinum haud eſſe opinor obſcurum, deque ipſâ non ſanctificatione aut

ſpirituali cõceptione, ſed vti vulgo ſolemus loqui, conceptione, deq; animæ in corpus infuſione vna cũ gratia ſanctificante, & Sixtum Põtificem & Tridentinum loqui, videtur exploratum. Sed non obſcuram ſuæ volũtatis ſignificationem præbuit S. Pontifex edito diplomate 31. Auguſti anno 1617, ſui Pontificatus anno 13, quo ſententiam illam aſſerentem, quod B. virgo fuerit Concepta in peccato Originali, deinceps in publicum efferri vetuit, ſiue in Scholis ſiue in Templis, cõcionibus, lectionibus, Concluſionibus, aliiſque quibuſcumque publicis actibus. Quot vero decretum iſtud in Hiſpania concitatæ anteceſſerint turbæ, quâ non modo Regis Hiſpaniarum & totius aulæ, ſed Epiſcoporum ferme omnium ac ſupremorum fidei Quæſitorum contentione ſit efflagitatum, quâ omnium ordinum

gratulatione, lętitiaque exceptum ſit hoc decretum; qui per id tempus toto Regno populi concurſus, in eoque virginis priuilegio celebrãdo ſumptus, apparatus & plauſus; vt ex ore infantium ac lactentium Deus ſuæ Matris laudem perfecerit, cum fora omnia, & compita perſonarẽt, Immaculatæ Conceptionis Deiparæ laudibus, cum Academię, Sodalitates, vrbes, Collegia ſacra, profanaque paſſim eius tuendæ ſolemne iuramentum ſuſciperent; cum præ foribus ædium magnificos ſine macula conceptæ Virginis titulos erigerent, feſtiuis ignibus, muſico concentu, omniq; ornatu, celebrarent, eo impenſius quo quidam contra renittebantur obſtinatius, hæc inquã omnia prodita ſunt ab alijs, & prodentur prolixius ad poſterorum memoriam. Narrant Hiſpali cum non nemo ſecus quam Cleri populique vniuerſi fere-

ſi fere-

ſi ferebat pietas de Virginis Matris Conceptione Concionem habuiſſet, ad eam maculam quam Deiparæ credebant aſperſam penitus abolendam, minimè ex aduerſo cōpoſita ornatiſſimaque Patris Pinedæ concione fuiſſe contentos, ſed opere Phrygio telam pretioſiſſimam adornaſſe ſuæ in virginē Matrem ſanctiſſimè conceptam obſeruantiæ monumētum perpetuū, in qua maximis caracteribus ex gemmis, & adamantibus intexta erat hæc inſcriptio. *Beata Virgo* MARIA *concepta eſt ſine peccato*. Totum id opus ſtetit octoginta millibus ducatorum. Quo die Madritum curſor Regius Pontificium diploma detulit, vbi deſcendiſſet ex equo, ferunt lampadem nocturnis tantum horis coram imagine Conceptæ puriſſimè Virginis accendi ſolitam, medio foro clara die, eo ipſo, cùm curſor appelleret,

momento, cunctis obſtupeſcenti-
bus ſponte ardere cœpiſſe, cõſum-
ptoque exiguo quod à præterita
nocte, ſupererat oleo, perduraſſe
flammam, ipſaque ſuppoſita erat,
aqua ignis fomentum ſuppeditan-
te: ad quod exciti ſpectaculũ pro-
xima nocte innumeri prope mor-
tales conuenere, vigiliaſque ſtupo-
re defixi produxere. Neque vero
difficilis aut impedita ratio eſt, qua
ſanctiſſima Virgo ab originali re-
ſeruata, atque immunis fuiſſe de-
monſtretur, ſi nimirum quo primũ
momento creata eſt eius nobilis &
præſtans anima, corpuſculoque in
Annæ Matris vtero, de Ioachimi
Patris efformato ſemine (quod im-
maculatum vocat Damaſcenus)
inſpirata, eodem illo ſanctificans
gratia ac iuſtitia originalis, quoad
primarios effectus, quo & mens
Deo, & ſuperiori mentis portioni
perfectiſſimè ſubiiciebatur infe-
rior

rior, effuſa ſit largiſſime. Atque vt tum erant in Dei proſpectu, Saluatoris ampliſſima merita, ipſaque futuræ Dei Matris dignitas poſtulabat, quemadmodum in angelis, & primis parentibus ita in Angelorum Regina, generiſque noſtri ſecundum filium reparatrice Deus, & naturam condere potuit, & gratiam infundere, eamque accelerato rationis vſu qua par erat animi gratitudine ac præparatione ſanctiſſima Virgo potuit ſuſcepiſſe, nec habituali modo remota donorum, vt de ſcholarum more preſſius loquamur, ſed actuali quoque iuſtitia originali ipſo donorum vſu fidei, ſpei, & ardētis in Deum charitatis exercitatione prædita fuiſſe, qua ratione præuētum & præpeditum fuerit originis peccatum, cum animę locum omnem gratia diuina & charitas præoccupaſſet. Cōcepta quidem eſt Deipara communi

lege connubij ex SS. Parẽtum Ioachim & Annæ maritali complexu, cum non libidinis æſtu atque impulſu ſenes ſterileſque, qui deſperato matrimonii fructu pridem vſũ quoque ſibi interdixerant, ſed diuino monitu conueniſſent; cum eſſet tamen Virginis pulcherrimũ, temperatiſſimum, omnique ex parte perfectiſſimum corpus efformandum, ad idque ſenilis ac ſterilis virtus ſeminalis vtriuſque parentis idonea eſſe non poſſet, interuenire debuit ſuperior vis influxus diuini, qua parentum virtus illa corroboraretur, & non quidem momento temporis ſed breuiſſimo ſpatio vnius diei decurſu, corpuſculum aptiſſima membrorum & organorũ deſcriptione, humorumque temperatura, ad eximiæ pulchritudinis formam quæ eſſe poteſt in hominum ſpecie præſtantiſſima, componeretur; tum vero illi reſpon-

dens

dens anima nobilitate, ornata omni gratia, cæteriſque diuini ordinis habitibus, quibus originaria ſecluderetur culpa, ipſo puncto peractæ Conceptionis infunderetur. Valere ergo hic poteſt illud Vlpiani, *Princeps legibus ſolutus eſt; Auguſta autem licet legibus ſoluta nõ eſt, Principes tamen eadem illi priuilegia tribuũt, quæ ipſi habent.* L. princeps. §. de legibus. Quod Aſſuerus Rex Heſtori cariſſimę, id Deus amantiſſimæ Virgini Matri ac ſponſę ipſo in cõceptu dixerit. *Noli metuere non morieris; non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex eſt conſtituta.* *Heſter 15.*

CAPVT XXII.

De Patribus Iacobo de Ledeſma, Petro De Anaſco, Sebaſtiano Barrada, Bernardino Realino, Georgio Colibrant, & Iacobo Rheu.

COMPENDII cauſa plures eximios Deiparę cultores in vnũ faſcem colligam, & de ſingulis ad poſteritatis exemplum, atque memoriam paucula delibabo.

Iacobus Ledeſma Doctor Theologus cum ſex & amplius annos de vocatione Religioſa deliberaſſet, ad Petrum Ribadeyneram, qui hęc litteris mandauit & tum Louanij verſabatur, conſilij cauſa adiit, ex eoque quæſiuit anxius, an inita Societate pacem animi ac tranquillitatem adipiſceretur, ſpem illi quidem oſtendit Ribadeneyra; ſed nihil audere certi ſe ſpondere, nec de rerum futurarum euentu diuinare: ſed

ſed & complures alios, Deo propitio, in Societate maxima pace ac ſpiritus iucunditate frui, quid ei eſſet euenturum id vni Deo notum. Diſceſſit Ledeſma conturbatus, de caſtitatis ac perſeuerantiæ dono pręcipuè ſollicitus, ſibimetipſi diffidens ſuamque reputans imbecillitatem, ac naturæ corruptelam; non diu poſt tamen animum confirmans ſtatuit inire Societatem, Romamque proficiſci, quo in itinere, cum ad noſtros Coloniam diuertiſſet, nondum illa mentis anxia cura liberatus, vltro Leonardus Keſſelius Rector (is eſt cui tanto locorum interuallo abſenti ac diſſito B. Ignatius viuens ſe videndũ præbuit) quaſi præſagus eius morbi, valde illum confirmauit, nihil neque de caſtitate, neque de perſeuerãtia in Societate dubitaret, hoc idem caſtitatis perſeuerantiæque donum promiſit illi Chriſtus Dominus.

minus cum ſe ei ardentius precanti Auguſtæ Vindelicorum commõſtraſſet, quod viſum cum aperuiſſet Ledeſma Confeſſario, & hic quæreret qua forma quo colore veſtis Chriſtus apparuiſſet, Ledeſma reſpondit tanta ſe mentis exultaſſe lætitia, adeoque ſuimet præ gaudio factum impotem, vt nihil horum animaduerteret. Iterum cũ ad Clementiſſimæ Dei Matris cõfugiſſet opem, eamque precaretur ardentius, ad illud caſtitatis ac perſeuerantiæ donum impetrandum, adfuit illa comitantibus Maria Magdalena & SS. Virginibus Catharina Martyre, & altera Senenſi, cumque eum immenſo quodam lætitiæ ſenſu compleſſet, hortata eſt vti Societatẽ Ieſu filij ſui mox ingrederetur, nec de caſtitatis obſeruantia ac perſeuerantia dubitaret; ſecurus ageret ac lætus, nunquam ei ſe defuturam benignam

patro-

patronam, iterumque ſe ei in ipſa morte affuturam quo de perſeuerantiæ munere certior emigraret è vita. Id & Deiparæ comites confirmarunt, in ipſoque diſceſſu ſuauiſſimum carmen de caſtimoniæ præſtantia modulari videbantur.

Diuina res eſt caſtitas
Diuina ſunt & prēmia
Quæ continenti dat Deus.

Ita penitus abreptū extra ſe, gaudioque ac ſtupore oppreſſum reliquerunt. Obijt Romæ ſtudiorum præfectus non excellentis modo doctrinę, ſed & præſtantiſſimarū virtutum, humilitatis, obedientiæ, modeſtiæ, ardentiſſimæ in Deum diuamque Matrem pietatis egregijs omni poſteritati relictis exemplis anno 1575, ætatis quinquageſimo tertio.

Pertus de Anaſco cum in Tucumanis, & Pecuanis miſſionibus annos 15, in Societate triginta tres exegiſſet,

egiſſet diem clauſit extremũ magna ſanctitatis opinione 12. Aprilis anni 1603; omnium quidem virtutum exemplar egregium, ſed trium præcipue, obedientię, orationis, & ſui ipſius deſpicientiæ ſtudio deditus, ad Indos corpore animoque iuuandos ardentiſſimi zeli, nam & in eorum morbis fetidiſſima tractabat vlcera, puſque ac vermes ex eis ſcaturientes radebat, nec ſemel ad euincendam naturam iis ſordibus plenam exhauſit patellam. Ad animas vero rebus diuinis informandas præter generales duas linguas Peruanę Prouinciæ quas Auichua, & Aymara vocant, ſeptẽ alias quarum in remotioribus locis eſt vſus, edidicerat, innumeraque his nouem linguis Indorum millia Christo peperit, ac lucrifecit. Annum agebat vigeſimum ſecundum cum periculoſiſſimo correptus morbo ad ſanctiſſimę Matris

confu-

confugit opem, nec diſtulit illa clientis audire preces, ſed omnium miſerorum mater amãtiſſima glorioſiſſimum brachiis deferens filium, illi manifeſtiſſimè apparuit; tum blandiſſimis verbis ęgrum ſolata certam valetudinis ſpem fecit, reſtitutaque corporis ſanitate ad nuncium ſæculo remittendum filioque ſuo in Societate militandũ incitauit. Nec vanam fuiſſe viſionem commutata mox in melius vitæ ratio demonſtrauit, & in libello ipſe ſuo grati animi cauſa teſtatum reliquit; additque ſingulis diebus ſabbathi quibus in honorẽ Deiparę ieiunare conſueuerat præcipuum aliquod à Deo optimo maximo beneficium, ob deprecationem eiuſdem ſanctiſsimæ Matris accepiſſe: hæc me, inquit, ad Societatẽ adduxit, in eadem conſeruauit, vbi quæ ipſius cauſa ſenſerim, quoniam verbis explicare non poſſum, ſilen-

ſilentio prętereo. Quoties ſingularis eius beneficij recordabatur quod ægrotans accepiſſet à ſanctiſſima Virgine (recordabatur autem ſæpiſsimè) toties eandem ſe clementiſsimam Dominam pulcherrimam, ſuauitatis, amoris, humanitatiſque pleniſsimam coram oculis mentis intueri videbatur, vt primo eandem corporis viderat animumque ſuum incredibili quadam dulcedine ac cęleſti conſolatione delibutum plenumque relinqui ſentiebat. Habebat in promptu ſanctus hic Pater, in aduerſis rebus ſolatium præſidiumque, ſanctiſsimæ matris ſemel conſpectæ, puerique IESV formam atque effigiem alte impreſſam menti, quam cum viſum eſſet, expreſſius in memoriam reuocaret. Conſimilis ad Societatem vocatio fuit Sebaſtiani Barradæ Luſitani ab Euangelica concordia commentariis doctiſſimis

mis

mis æque ac pientiſſimis illuſtrata notiſſimi, nec diſpar virtus ac ſanctitas integerrimæ vitæ quam felici morte concluſit anno 1615 Conimbricę 14 Aprilis. Cum adoleſcens ad Societatem eſſet ingreſſus anno ætatis 16, ſæculi 1558, cæleſtibus donis iam tum à Deo pleniſſima manu cumulatus. Quidam è noſtris in ſua vocatione vacillanti vt quantum id eſſet beneficium commõſtraret, expreſſe dixit Beatiſſima Virgo, mi frater, iuſſit me ingredi Societatem Ieſu, identidemque hoc abreptus feruore repetiit, ipſa Diua Mater mihi imperauit ipſi, ipſa me iuſſit ingredi Societatem Ieſu, & ſane percrebuit aliquando rumor Olyſſipone B. Virginem quæ de Eſchetada nuncupatur, Sebaſtiano Barradæ locutam fuiſſe, vtque fili ſui Societatem iniret, imperaſſe; cæterum quoties piũ cum fratribus noſtris

ſer-

ſermonem habebat vnicè id & impenſiſſimè commendabat, deuoti eſſent B. Virgini cuius ope ac patrocinio religionẽ ingrederemur, & in ea perſeueraremus, cynoſura noſtra & ſtella maris, porta ac via ſalutis, aduocata, patrona, gratiæque apud filium & perſeuerantię conciliatrix. Ac quoties de ea ſermonẽ haberet; aut audiret totus exultabat animo, ac cæleſti quadã ſuauitate colliqueſcebat, vt oculorum ac totius oris hilaritas indicabat. Non patiebatur vllam B. Virginis imaginẽ eſſe neglectam, aut eo aſſeruari loco, qui minus eius honori cõgrueret, qua de cauſa cum fragmẽtum quoddam in ambulacro reperiſſet, illico reuerenter ſuſtulit, in breuiarioque præter morem quod eſſet amantiſſimus paupertatis eſt vſus, rogabat vero philoſophiæ profeſſores ne theſiũ ſuarũ imaginibus imprimi ſinerent

à Ty-

à Typographis auguſta Ieſu & Mariæ nomina, quod honeſto ſatis ea loco collocari non crederet. Dicere conſuerat ſe & cæteros peccatores, quorum ſe in numerum referebat cum eſſet ſanctiſſimus, intuitu S. Matris tolerari à Deo, ſed quo fuerit in illam pietatis affectu, quam eximios de illius laudibus virtutibuſque animi ſenſus habuerit, quoſque in ſuis de ea celeberrimis concionibus exprimere ſoleret, abunde primis ex commentariis eius in Euangelia tomus legenti fidem faciet. Cum ſacro inũctus eſſet oleo, rogatus à Rectore Collegii, in communem aliquid omniũ ædificationem proferret, & ſi vox impedita foret, & intermortua, collectis tamẽ viribus ſummo feruore qua ſolebat in concionibus vti contentione vocis dicere cepit, *Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore tentationis*, aliud

liud conſilium oportunius ſuggerere non poſſum, ſimus humiles, Chriſti Domini Saluatoris imitatores, qui per omnem vitam fuit humillimus, & cum acerbiſſimam ignominioſamque mortem ſubiit, inclinato capite tradidit ſpiritum, quo dicto & ipſe caput ſiniſtrorſum flexit, voxque intercepta concidit, vt nulla deinceps articulata dictio potuerit intelligi, moxq; eadem die, & hora qua Chriſtus Dominus expirauit. Fortunata mors quam filij ſui morti ſimillimam clienti ſuo clementiſſima impetrarit potrona, ſuaque opinor præſentia munierit ac cohoneſtârit. Idem aſſeuerare licet de morte Bernardini Realini Itali, vitæ ſanctitate celeberrimi, virginem ei miſericordem minimè defuiſſe, cuius honori ac cultui, fuerat in omni vita deditiſſimus; obijt Licij quę vrbs eſt extrema in Apulia Brondusium

duſium inter & Hydrontem, in quam ipſe primus Societatem induxerat, quamquam continenter annis 42 omni ſtudio pietatis excoluerat, omnium ſummorum æque ac infimorum parens, pręſidio ciuibus omnibus ac ſolatio, virtutiſque exemplo venerandus, annum ætatis agebat 86. ſęculi 1616 cum ex eo quęſitum eſſet an die B. Virginis mori vellet, id ſe maximopere cupere reſpondit, rogatuſque an extremo cuperet oleo communiri, id ſe eorum arbitrio permittere; quod mortis conſcius octiduo adhuc eam abeſſe non ignoraret; interea dum oppreſſus morbo clauſis oculis cæleſtia verſaret animo, adhibitus pictor qui vultum eius exprimeret penicillo; qui cum maxime doleret oculos qui ſunt indices animi, & totius vultus continenter occluſos, quaſi, quid ille vellet, intelligens Pater, eos iterato

rato ac tertio nitentes ſerenoſque aperuit, vt commodè eos intueretur, & exprimeret. Cum vero diluxiſſet dies Sabbathi qui viſitationi Deiparæ Virginis ſacer erat, adſtans infirmarius animaduertit eum ſenſim ad extrema tendere, quare Patrem animo læto atque hilari eſſe iubet, quandoquidem à Deo conceſſum ei videretur, vt nō ſolum Sabbatho, verum etiā ſpeciali feſto quo B. Virgo propinquam Eliſabetham viſitauit, ab eadem quoque viſitandus ex hac emigraret ærumnoſa vita; bonus ſenex ita eſt exhilaratus, vt quidquid haberet virium, magno conatu colligéret, & hæc verba clare exprimeret, *O Domina mea ſanctiſſima*, quaſi præſentem intuitus: maximaque lætitię ſignificatione ea ipſa die, cum ſacra Chriſti Domini paſſio legeretur ſub horam ſecundam expirauit. Ex eius autem corpore

pore & in morbo & à morte ſuauiſſimus & cæleſtis quidam odor afflabatur, quo mirifice recreabantur aſtantium externi ſenſus, & ad virtutem concitabātur animi. Reliqui ſunt duo Sodalitatis Deiparæ Virginis Pręfecti, ac Directores, quorum in ea diuę Virginis matris amplificanda, tuendaque clientela, omnis exacta vita ſanctiſſimè: qui plurimum Virginis honori, cultuique promouendo ſtuduerunt, ad eumque maxime ſcopum ſuas omnes curas & cogitationes contulerunt, digniſſimi quos clementiſſima mater ac domina, tū in hac vita donis eximiæ ſanctitatis ornarit, tum in altera ſingularibus æternæ felicitatis præmiis cumularit. Alter eorum ſpiritualis mihi parētis ſemper habendus loco P. Georgius Colibrāt, in vniuerſitate Duacena Aquicinctini Societatis Ieſu Collegii ſtudiorum Præfectus, idemque

idemque ſodalium diutiſſime dire-
ctor ac Confeſſarius, gratiſſimas
habebat de Virgine Matre Con-
ciones non tam elaboratas inge-
nio, atque induſtria perfectas, quã
omni pietate refertas, exemplo-
rumque gratiſſima narratione con-
ditas. In ſeipſum ſeueriſſimus, aliis
morum ſuauitate gratiſſimus, pri-
mam ex ſomno quotidie detrahe-
bat horam orationi tribuendam,
à nona ad decimã vſque de nouiſ-
ſimis fere meditans, tum alternis
diebus acrẽ vnius (ferè quadrantis
diuerberationem ſubiiciebat, alter-
nis horridum induebat cilicium tũ
pro ſuis vt aiebat, tum ſuorũ quo-
que pœnitentium peccatis. Porro
cum eſſent audiendæ confeſſiones,
ad quas erat impiger & aſſiduus,
diſciplinæ cilicium adiungebat, vt
lorica, & funda contra Goliath in-
fernalem dimicaret. Maximus fuit
ſuimet contemptor, & quam in
omni

omni vita demiſſionem animi tum verbis tum factis erat profeſſus, in finem vſque conſeruauit, gratias agens Deo quod in ſanctam hanc Societatem ſe vocaſſet, & conſeruaſſet indignum, vti ſæpiſſimè repetebat, eximio hoc beneficio; quam animi demiſſionem & ſui ipſius diffidentiam ex S. Auguſtini ſcriptis hauſerat, quæ non ſemel à capite ad calcem diligentiſſimè volutarat, ſępe illud Dauidis repetebat. *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*: ſerua Domine miſericordiæ tuæ particulam miſello famulo tuo, tum vero cum valeret, nihil frequentius habebat in ore ac pectore quam, Ad maiorem Dei gloriam, Deo gratias, Ad vitam æternam, hoc identidem ingeminãs, Ad vitam æternam, & cum ei labores ſui, pœnitentiæ, & cętera benefacta cõmemorarentur, ludus (aie- *Pſal.142*

bat, paruulorũ crepundia ſunt puerorum: biennio ante obitum acutiſſimis veſicæ doloribus exagitatus eſt, quibus opem aut medelam medici nullam conferre poterant, eoſque fruſtra conniti dicebat, cum eſſet hic à Deo morbus & cruciatus immiſſus. Sex vero poſtremis ſeptimanis aurigine ſeu regio morbo grauiſſime laborauit, diffuſa per vniuerſum corpus flaua bile, inſuper lento velut igne decoctus & expurgatus, exhauſto laceroque corpuſculo defixis in cœlũ oculis brachiiſque, quoad vis morbi patiebatur, ſurſum erectis, cum perpetuo videretur orare, Crucifixi imaginem ſæpius amplexus & exoſculatus, tandem ad Dominum feliciter emigrauit anno ætatis ſeptuageſimo, Societatis initę quadrageſimo, ſęculi 1609. Pater Iacobus Rheu admiſſus in Societatem Romæ à Prępoſito Borgia, cum vti

fert

ſert conſuetudo, primam probationem in ſepoſito ageret cubiculo, præteritus incogitātia miniſtri triduanam inediam patientiſſimè tulit, præludium patientiæ & pœnitentiæ, quam in omni vita deinceps erat amplexurus. Inter externos ferè conuictores egit, & quamquā ſumma ſuauitate perfunderetur, quoties ad communem noſtrorū menſam conuictumque adhiberetur, quod proximis ante mortem menſibus ſolatii ſui cauſa frequentius expetiit, tamen quia ſuperioribus id gratum opinabatur, obediendi ſtudio numquam à ſeminarijs in Collegium remigrare flagitauit, ſemper autem aut Regentis aut Religioſorum Præfecti munus obibat ſumma patientię, modeſtiæ, manſuetudinis, omniſque virtutis laude; in eoque munere Ingolſtadii ad annos triginta perſeuerauit, ſilentij ſtudioſiſſimus

ſiſſimus, ſenſuum cuſtos egregius, deuotionis ſenſu perpetuo delibutus, ſuauiſſimis manãtibus lachrymis quoties maximè martyrologium prælegi audiret. Beatiſſimam Virginem tã eximiè ſemper amauit ac coluit, vt eius amorem quam plurimorum animis impreſſum eſſe peroptaret, illaque ſemper & in ore, ac corde verſaret angelica verba *Aue Maria, gratia plena.* quamobrem abhinc annos fere quatuor & viginti, cœtum e Sodalibus Virginis Annunciatæ collectum inſtituit, quem colloquium Beatiſsimę Virginis nuncupauit: quorum pręcipue minus foret ſermones de rebus ſacris ſerere ac miſcere, quam hiſce certis legibus illigauit, vt qui vel earum vnam violaret, aut peccato ſeſe obſtringeret mortifero, ipſo facto excluſus omni fructu & merito, indulgentiis quoque quas benigne ſanctiſsimus Põtifex Paulus

lus V. anno 1614 indulſerat, orbatus, priuatuſq; exiſteret, quo ad apud Sacerdotem animo expurgato, hymnoque *Aue maris ſtella* pronuntiato ſponte rediret in gratiam, iterumque cœtui reconciliaretur. Eſt autem hæc reconciliatio, & excluſio ſemper occulta ex præſcripto legum eius Sodalitij aut colloquij, quas hic referre nõ eſt neceſſe. Ex hoc cœtu non raro, cum eſſent longe etiam diſſitis in vrbibus defuncti, tamen Iacobus edoctus cęlitus eorum animas cæteris commendabat ſodalibus, tum vero ipſę defunctorum animę fores eius pulſare conſueuerant eo vehemẽtius, quo maiore & pręſente magis egebant ſubſidio. Dum ſacris operabatur, cœleſti gaudio profuſis vberrime lachrymis colliqueſcere, nec raro verbis interruptis velut extra ſe poſitus diutius hærere, nõ ſemel etiam inter illa tremenda

myſteria ſuper terram ſublimis eleuari viſus eſt. Inceſſerat ipſum aliquando magna cupiditas cognoſcendi quodnam encomium B. Virgini Matri gratiſſimum foret, cum certior fit illuſtratione clariſſima illud ei eſſe pergratum, *Mater admirabilis*: compēdium nempe eorum, quæ de tali Virgine & Matre prædicari poſſent. Cum igitur die quadamà Sodalibus colloquij, muſico concentu Litaniæ B. Matris pro more decantarentur, atque illa verba *Mater admirabilis* enuntiarentur, Virgo cœleſti luce circumfuſa ſeſe illi offert aſpectabilem, atque illico ex angulo quem ſemper in oratorio poſtremum occupabat, prorūpit in medium, & exclamat ſtupētibus Sodalibus, ingeminent tertiò vniuerſi voces illas *Mater admirabilis*; cognouiſſe ſe, quam ſit virgini Matri gratum colloquium. Percūtabantur nonnulli, an illi placeret noſtro-

noſtrorum abitus in Indiam, reſpondit fore in Germanicis partibus ingentem noſtrorum hominũ penuriam, ob copiam emſſis, atque adeo ſe opus India non iudicare, vt illa perlonga & incerta terrarum atque oceani ſpatia quęrantur. Multa me de hoc viro, vt & de alijs ſilentio premere cogit breuitas, cui tamen ne libellus ingens volumen fiat, obſequendum.

CAPVT XXIII.

De Borgiæ inuentis ad augendum ſanctiſſimæ Dei Matris cultum.

FRANCISCVS Borgia, ex duce Gandiæ tertius Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis, quantum illi ſplendoris attulerit, quantum incrementi atque omnis generis emolumenti ſpiritalis, haud facile dici poteſt. Nam non modo illam primo in ortu humilem & obſcu-

ram ſuo ſplendore ac generis claritudine nobilitauit, verum & ſua adminiſtratione propagauit, ſuis adhortationibus & exemplis ad sãctitatem excitauit, ſua virtute & authoritate à plurimis incommodis & oppugnationibus naſcentem protexit ac defendit. Verum quod hic agitur, quantopere Deiparæ quoque Virginis cultum promouerit atque amplificarit, ex tribus eius inuentis hoc loco commemorandis perſpicuum fiet. Vnum eſt de quo iam ante dixi: cum ante Societatem initam plurimum valeret vſu meditandi & excelſum prope cõtemplationis apicem obtineret, libellum exercitiorũ Beati Patris Ignatij, vbi primũ ei fuit exhibitus, auidiſſimè totum exhauſit diligentiſſimeque perlectum, & in ſuos vſus meditando traductum ita ſuſpexit, vt quo tutius deguſtaretur ab alijs, nec quemquam rei nouitas

nitas deterreret, contenderit à sũmo Pontifice per ſupplices internuncios ac litteras, Exercitiorum librum authoritate Apoſtolica cõmuniret, quod ego B. Borgiæ egregium arbitror inuentum ad alendam augendamque in Virginem matrem pietatem; ſunt enim communia atque eadem quæ traduntur hoc libello Saluatoris filij, ac Virginis Matris myſteria, nec alio referuntur hæc pietatis exercitamenta, quam vt aduerſus vtrumque hunc noſtræ ſalutis parentem gratiſſimi pietatis ac virtutis affectus concitentur ac confirmentur. Igitur poſtulationi Ducis Borgiæ, ſummus Pontifex prolixe & liberaliter annuit, vt Apoſtolicis litteris, quibus eas B. Ignatij Inſtitutiones ſuo patrocinio & authoritate communiit, non modo eas approbet ac collaudet, verum etiam homines vtriuſque ſexus hortetur

 vt iis

vt ijs ſeſe excoli velint & pie vti nō dubitent. Impetrauit inſuper idem Dux Borgia, vt quiſquis inter eas exercitationes vniuerſæ vitæ peccata confiteretur, pro Apoſtolica benignitate, cunctarum noxarum indulgentia donaretur. Aliud P. Borgiæ inuentum ad augendum cultum B. Virginis, dum in aula Luſitanię Principis Ioannis verſaretur, refert author hiſtoriæ Societatis. Deiparæ natali die, multis in ſchedulis varias eius virtutes ac laudes inſcripſit, egregijs cuique virtuti appoſitis precādi formulis, dein aliis in ſchedulis numero paribus, matronarum ac puellarum ſcripſit nomina, quæ in Principis verſabantur obſequio, hiſque ſigillatim nominibus vna ex parte, ex altera ſchedulis ad laudem Virginis, ſubiecta prece, ſortito eductis, quam cuique ſchedulam ſors dediſſet, toties deinceps octo die-

L. 17. n. 49.

bus

bũs, iubebatur ex concepta in ea formula precem quotidie fundere, quod cum vehementer arriſiſſet Ioanni Principi, Borgia, qui immẽſa quadam flagrabat cupiditate incitandi homines ad virtutem, pro ſua mercede popoſcit, vt quæ Mater eſſet principeſque familię, ea cũ aula ſua vniuerſa ad honorem Virginis animum repurgaret, & alimentis deinde cæleſtibus confirmaret, quod cum facile annuiſſet, ipſemet delectus ad id ſacerdos diuiniſſimam hoſtiam, antequam inciperet diſtribuere, manu tenens, pauca verba, ſed ardentia fecit, oſtendens quis eſſet is quem manibus ſuſtinebat, quę eius vis, maieſtas, & ſanctitas, quanta è contrario ſuſcipientis illum hominis vilitas, prauitaſque; ad quæ verba eo prolata ſenſu, ac tempore, ingens conſecutus eſt audientium motus, ex eoque tempore in Principis au-

la,

la, octauo quoque die, minimum quinto decimo, ſacra illa myſteria ſalutariter obiri cæpta. Et erat regia omnis ſiue hac Borgiæ induſtria, ſiue eiuſdem ſermonibus & exemplis tantis ignibus inflammata, vix vt alius per eos dies fereretur inter aulicos ſermo, niſi de Deo, ipſumque Gynæceum non è Principis Reginæque pediſſequis, ſed ex ancillis Chriſti videretur eſſe collegium. Eiuſmodi prope cõſuetudinē Borgia in Societatē vniuerſam, eius Præpoſitus induxit, vt quoque mēſe, cuique certus patronus ſorte eductus, quem præcipuo cultu veneretur, obueniret, adhibita ad cõmentandum appoſita è ſacris litteris, aut Patrũ ſcriptis sēntentia; virtute etiam annotata, cui præcipue eo menſe ſit incũbendũ: qui mos in Sodalitates quoque B. Virginis vſu receptus eſt, non ſine magno ſodalium emolumento, &
Dei-

Deiparæ honoris incremento. Hãc ille conſuetudinem è paterna primum hauſerat domo, optimaque parentum inſtitutione, qua liberis certum ſub anni exordium ſortito patronum dabant, ea lege vt eum præcipue colerent, peruigilioque eius ac feſto præter alia pietatis officia, mendicis duobus epulum darent. Tertium inuentum illud eſt, quod à Ribadeneyra commemoratur, *lib. 4. eius vitę c.* 4. & ad ſanctiſſimę Virginis honorem luculẽtius, & ad vtilitatẽ vberius diuturniuſq; videtur. Cũ eſſet Romæ Societatis Præpoſitus Generalis, qua valebat apud õnes gratia & authoritate, perfecit vti ſacra illa imago prototypa quę à S. Luca fertur eſſe depicta, Beatiſſimę Matris, puerũ Iesũ brachiis ac ſinu geſtãtis, quæ grauitatẽ ſuauitate mixtã admirandã, modeſtiãq; virginalẽ ac sãctitatẽ ſpirat, qua ſimul auguſtiſſima & ſuauiſ-

grauiſſima ſpecie ac forma Virgo Mater, qualis erat in terris, ad viuum expreſſa creditur: quæ imago ſummo religionis cultu frequentatur & ſumma cura aſſeruatur in æde S. Mariæ Maioris in recentius ampliſſimum, & Pōtificia maieſtate dignū ſacellum Pauli V. Pōtificis eſt traducta, effecit inquam Borgia, vt hæc imago ſibi priuatim, ad dies aliquot habenda permitteretur, ex qua ad augendam in Virginem pietatem quam plurima curaret exemplaria duci, & quod erat vnius vrbis beneficium, id toti cōmunicaret orbi: cumq; plurima ſe huic eius optimæ voluntati ingeſſiſſent obſtacula, tamen ea peruicit S. Pater, omneſque exhauſit difficultates, vt ea potiri liceret imagine, quam in ſacrario ſuo repoſitam, mox à pręſtanti pictore curauit exprimi, aliaſque ad eius exemplū ductas imagines principibus viris

domi-

domicilijſque Societatis ad augendum Virginis cultum dono miſit, & ſuæ in eam pietatis fructum tulit vberrimum. Ex eo genere imaginum P. Baltazar Aluares, vir vitę ſanctitate & ſublimioris orationis dono notiſſimus, cum eſſet Procurator Prouincię Beticæ, anno 1571 à P. Borgia donatus vnam aſportauit & ſummo apparatu collocauit Medinæ Campi; nouitiis noſtris, quos informabat, ad Virginis cultum incitamento futurã. Eadem B. Ignatius item Azebedius è Societate Martyr clariſſimus, vir Religioſiſſimus, & Virginis cultui deditiſſimus ex vrbe ſecum huiuſmodi imaginem deferebat, cum in Braſiliam remigrans Prouincialis, anno 1570. 15 Iulij in prædones Caluiniſtas incidit, ac cum Sociis octo & triginta comprehenſus pro fide ac Religione fortiter occubuit, hac imagine in manus

manus ſumpta, prout res & tempus poſtulabat, ad officium, & cõſtantiam ſocios cohortatus, tum hoſtibus obuiam factus elata icone omnes conteſtatus qui aderant ſe pro fide catholica libenter emori, vnum in capite, tria in pectore accepit vulnera, ac fruſtra piratis ſacram imaginem extorquere conantibus, cum ea ipſa præcipitatus in oceanum diutiſſimè perſtitit; neque ſubſidit eius corpus, vt fieri aſſolet, ſed brachiis ad inſtar crucis expanſis quam longiſſimè ſequi poterant oculi ſuper aquas ferri viſus quod huic ſacræ Virginis imagini quam manu comprehenſam non dimiſerat, merito creditur aſcribendum.

Digitized by Google

CAPVT XXIV.

Adhortatio R. P. Claudij Aquauiuæ ad eundem virginis cultum.

VT plurimum Borgiæ, ita & Claudio Aquauiuæ Societas debet, quam diutiſſimè annis nempe triginta tribus, & ſapientiſſimè rexit, egregiiſque ſtabiliuit inſtitutis; ordinationibus inſuper, inſtructionibus, hortatoriis epiſtolis, aliiſq; ingenii & pietatis monumẽtis ad perfectæ vitę ſtudiũ incitauit. Hic mihi breuiter ex ea quam ad ſocios dedit epiſtola, de perfectionis ſtudio & charitate fraterna anno 1586, repetenda eſt adhortatio, ad præcipuam religionem, & pietatem erga Virginem Mariam, qua ſi minima noſtra Societas nitatur (verba illius tranſcribã, & quo plus authoritatis & ponderis habeat oratio, loquentẽ eum ipſum inducã) fore

fore confido, vt quæ Dei beneficē-
tia eſt, etiam atque etiam in dies ef-
floreſcat. Nam ſacratiſſima Virgo
cum parens fuerit eius, qui omne
cælum, omnemque naturam moli-
tus eſt, vere ac proprie, vt ait Da-
maſcenus, in res vniuerſas herę ac
reginę nomen & ius adepta eſt. Ita-
que vel in omnibus rebus ac tem-
poribus, ſiue publicis Societatis, ſi-
ue propriis ſingulorū prętāti qua-
dam veneratione ac ſingulari fidu-
cia, quę nullam vereatur repulſam,
ad hoc laborum omnium, & ſolli-
citudinum perfugiū ſupplices ac-
curramus: equidem mecum dum
reputo, quanto deuotionis affectu
hanc cæli reginam complexi ſunt,
quantumque ex eius pio, & aſſiduo
cultu ad omnem profecerint ſan-
ctimoniā multi ſancti viri, ac pri-
uatim B. P. Ignatius, quanta no-
ſtrarum rerum ſpem ac tutelam in
hac velut arce collocarit, magno
teneor

L. 4. de fide. c. 15.

teneor ſtudio, vt nos eam propenſiſſimis animis atque obſequiis proſequamur, depoſcentes vt ipſa deprecante hęc pietas velut ſuauiſſima nardus noſtris mentibus innaſcatur. Certe ſiue ſpectemus Deiparæ Virginis dignitatem authore Deo in tam illuſtri excelſoque loco ſitam, vt per ſeipſam & religionem, & admirationem moueat, ſiue beneficiorum illius in nos magnitudinem, quibus gratiã quam poſſumus referre fas eſt; ſiue inopiam ac mẽdicitatem noſtram, quam oportet tam Salutari patrocinio ſuſtentemus, potiora ſemper ſperantes in poſterum; hæc inquã omnia ſi ſpectemus, eas ſane quam maximas à nobis, & honoris & amoris ſignificationes erga cæleſtẽ hanc præſidem & cuſtodem noſtrę ſalutis expoſcunt. Quapropter merito Diuus Bernardus; totis, inquit, medullis cordium, Totis præcordiorum

diorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia ſcilicet eius voluntas eſt, qui totũ nos habere voluit per Mariam. Denique cum tot noſtræ & egeſtates, & erumnæ leuari nequeant, niſi ab ea quæ polleat & charitate qua velit, & poteſtate qua laborantibus opitulari queat, quantum in vtroque Maria valeat, ex eo quod præpotentis Dei Mater eſt manifeſtè perſpicitur. Id Diuus Bernardus tradit his verbis: nihil enim ſic poteſt, vel pietatis eius, vel poteſtatis commendare magnitudinẽ; niſi forte aut non creditur Dei filius honorare Matrem, aut dubitare quis poſſit in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus nouem menſibus ipſa quæ ex Deo eſt charitas corporaliter requieuit. Ad extremum illud addidiſſe ſit ſatis, quod Germanus Cõſtãtinopolitanus patriarcha in homilia quadã

bre-

breuiſſima quidem ſed grauiſſima de piè & beneuolè colenda Deipara pronunciauit, eam compellãs. Quomodo corpus noſtrum vitalis ſignum operationis habet reſpirationem, ita etiam ſanctiſſimũ tuũ nomen quod in ore ſeruorũ tuorũ verſatur aſſiduè in omni tempore, loco, & modo, nõ ſolum lętitiæ & auxilij eſt ſignum, ſed eam etiam procurat & conciliat. Hęc ſanctæ memoriæ Pater Aquauiua, cuius mihi in Virginẽ hoc præcipuũ pietatis ſtudiũ facile perſuadet, vt credã illius potiſſimũ auſpicijs præſidiiſq; Generalẽ eum Societatis iniuiſſe præfecturã, feliciſſimoq́; ſucceſſu quẽ videmus & gratulamur, adminiſtraſſe. Memini cum Romę nõ vnus neque dubius author narraret, Euerardo Mercuriano vita functo, cum ad noui Præpoſiti creationem conuentus haberetur, ac comitia de more celebrarẽtur, in iiſque

isque præpoſitos inter Prouinciales extremum & ætate & ordine locum obtineret Pater Aquauiua, tamen vnanimi ferè Patrum conſenſu delectum fuiſſe, non ſine numine, & Beatiſſimæ Virginis Matris in eum propenſæ voluntatis aperta ſignificatione. Patrem certè Claudium Matthæum, Prouinciæ Franciæ Prouincialem, magna ſanctitate virum ferunt, ea quæ præcedit electionem orationis hora, intentius precãtem, hoc cœlitus immiſſum habuiſſe viſum, quo ſanctiſſima virgo Dei Mater vna cum S. Bernardo Abbate Clareuallenſi, ad ipſum Patrem Claudium Aquauiuam de cœlo delaberetur, tum veluti medium ab ijs aſſumptum, ad cæleſtem Chriſti Domini Saluatoris thronum fuiſſe deductum, illique cum prece, & gratia oblatum, commendatione dignũ qui ſuæ Societatis huius minimæ cla-

Digitized by Google

clauum teneret, ſummamque eius loco ac nomine gereret præfecturam, quibus benigniſſimo vultu Saluator annuerit, Patrique Aquauiuę ſuam ſit elargitus benedictionem. Coluit certè beatam Virginem, & S. Bernardum præcipuo cultu, eoſque in omni re dubia pręcipuos ſenſit adiutores. Id temporis Pariſijs Pater Thomas Albiger natione Scotus è populari ſuo Patre Iacobo Tyrio ſacræ Theologię tum profeſſore (qui eiuſdem poſt Patris Aquauiuę Generalis Aſſiſtēs diē ſuū obiit Romæ vir ſanctitate ęque ac doctrina cęlebris) ex eo (inquam) quæſiuit Pater Albiger & ipſe vir ſanctus, num noſſet inter Patres qui in Vrbe generali intererāt conuentui, quendam nomine Claudium: reſpondit Pater Tyrius ſe noſſe: ſed quorſum id quęreret? ille candide, quid ſibi elapſa proximè nocte eueniſſet, a-

peruit. Surrexeram de nocte Deũ oraturus, pro felici Patris noſtri Generalis electione; tũ mihi apparere dignata eſt clemẽtiſſima Mater, & ſpiritu me in Patrum conclaue deduxit, ac cæteros inter iuniorem quendam Patrem Claudiũ nomine manu prehenſum produxit in medium: tum Patribus aggregatis indicare videbatur: hunc vobis eligite in Prępoſitũ Generalẽ; cui prõptiſſimis animis Patres omnes annuerunt. Neque vero in ea ſortitione atque electione, generis eius ampliſſimi (erat enim Ducis Adriæ filius) tam habita eſt ratio, quam virtutis, ſanctitatis & egregiorũ, quib⁹ erat ornatus à Deo naturę, gratiæque donorũ, quibus ad Societatem regendam inſtructiſſimus cẽſebatur, quod ſe potiſſimum ſpectaturos Patres omnes qui Comitiis interſunt ſacro iureiurando confirmant. Teſtis eſt Petrus

trus Antonius Spinellus Aquauiuę nepos ex ſorore, Ducis Seminariæ filius, ſed longe pietate, atque humilitate nobilior, plurimum mihi ſemper colēdus Pręceptor ac Rector, anno 1598 cū in Societatē grauiſſimè coortæ eſſent procellæ hominum quorundā potentiū ſtudio, nec humanitus conſequuturæ trāquillitatis ſpes affulgeret, P. Aquauiuam vniuerſæ Societati quotidianas Beatæ Virginis Litanias indixiſſe, quibus exorata, mox tēpeſtatem illā ſedarit, turbineſq; fœdos, moleſtię ac periculi plenos diſpulerit. Iterū anno 1602, eodē Præpoſito Aquauiua ſuſcitatis alijs nouæ tēpeſtatis æſtibus tum Deiparæ Virginis patrociniū experta eſt Societas, cum ad Litanias quotidie in omnibus domiciliis noſtris adiūcta eſt antiphona *Salue Regina*, & *Aue maris ſtella*. Hac earundem ope litaniarum à Beatiſſimæ virginis pleraque

raque è Belgicis Collegiis à peſtifera cõtagione cõſeruata fuiſſe crediderim, ſuperioribus annis quibus ea lues haſce propè vniuerſas Belgii peruaſit vrbes; quæ etiam cauſa valere debet ad augendũ noſtræ in Deiparã pietatis ſtudium, ad quod & Pater Aquauiua, & noſtræ nos Societatis inſtituta prouocant.

CAPVT XXV.

De miraculis à Beata Virgine precibus noſtrorum patratis.

PAVCVLA congeram è multis: nam omnia ne volumen quidem ingens comprehendat. Ac primum quidem mutuabor ab hiſtoria Societatis. Petrus erat Ferrius Patauinus admodum pius; & ſi cultum ſpectes externum, aliquis de populo; ſi vitam, religioſus; hunc peſtilens febris quę tertium iam & ſexageſimum tenebat diem ad extrema perduxerat, nec in humanis

Lib. 6. hiſt. Socie. n. 9.

artibus

artibus ſpes erat vlla: acceſſit de more vt eum viſeret, & confirmaret B Ignatius, omnique aſſeuèratione prædixit breui eum à Dei Matre ſanandum. Nocte inſequēti cum totis ſenſibus vigilaret ægrotus, grauis ſe matrona & ad aſpectum decora ſpectandam præbuit, amictu candido, nobilique Virginum ſtipata choro, quæ cum ex eo quęſiuiſſet, cuperetne conualeſcere, ſanitatique reſtitui, & ille cupere ſe reſpondiſſet; expreſſam in papyro ſui effigiē, item eius quę ad criptæ Ferratæ nono ab vrbe lapide piè colitur, ęgro dedit, eāq; iuſſit admoueri præcordiis, qua ille ad pectus admota ſomno eſt cōſopitus, dein ex interuallo excitatus liberum ſe ab omni morbo & vacuum ſenſit, haud dubius acceptæ ſalutis & relegatæ febris; ſed inuentę penes ipſum icunculæ nulla mentio. Nimirum ſic in eius ani-

mo ſui ſpeciem aſpectus ille Dei Matris impreſſerat vt effigie non egeret externa. Poſtridie B. Ignatius reuerſus, iamq́; hilari prçter ſolitum vultu quaſi noui nō ignarus euentu; Petrum qui valeat rogat; cui cum ille, recte reſpōdiſſet, ſubiecit Ignatius; nonne ego dixi fore vt Dei genitrix te ſanaret, hoc ex ipſo Petro iureiurando interpoſito poſtea eſt compertum, qui prædictionem illam ortam ex S. Patris precibus quas ille Virginis ante pro ſua ſalute fuderit intellexit.

L. 11. hiſt Societa. n. 137.

Cum ex Iaponia reuerteretur in Indiam Xauerius ſeptimo quam ſoluerant die, fœdiſſima tempeſtate coorta quæ totos quinque dies ſolem condidit, ſæuiente vento, & maiores voluente fluctus, naui in ignota nautis maria vi æſtus abrepta certiſſimum adiit diſcrimē. Nauarchus, ne quod euenit, repentina vis

Digitized by Google

vis procellæ ſcaphā auferret validis eam rudentibus ad onerariam religari iuſſerat. Præter Sarracenos duos, quindecim vectores ei rei nauabant operam, cum retinaculis abruptis violenta tempeſtas tanto impetu ſcapham abripuit, vt momento temporis omnium prope conſpectum effugeret. Nauarchus eó curſum dirigit, eorum vicē miſeratus, actumque de oneraria ratus niſi ſcapha reciperetur: verum exaſperato fluctibus mari tanta vis procellæ fuit, vt pœne demerſa nauis ad extremum periculi venerit, vectoribus ac nautis aliis ſuper alios ſtratis, & maximo clamore B. Mariā inuocantibus, cuius ope Xaueriiq; prece diſcuſſo eo periculo ad ſcapham recuperandam omnes curæ conuerſæ. Vt quiſque in ea neceſſarios aut propinquos habebat, ita eorum caſum deplorabat impenſius, Xauerius bonū animū

habere eos iubet, prædicit fore vt ante triduum filia reuerteretur ad matrē: per ambages indicās ſchapham onerariæ adiungendam. Ad hæc ſenior quidā & expertus nauta, Petro nomen erat, tum, inquit, ſcapha recuperabitur, cum amittetur altera: cui Xauerius; at ego Petre non diffido Dei benignitate, & Deiparæ Malacenſis, cui tria ſaſacrific a voui, ſcapham cum miſeris illis incolumē propediem affuturam. Cum nihilominus non ſemel nautæ deſperata re ac ſtimulante metu vela ſuſtollerent & abitum pararent, inhibuit Xauerius, per Chriſti mortem obſecrans ne pigeret etiam parumper morari; quoad elapſo triduo tandem ſchapha comparuit, recto curſu ad onerariam contendens, cumque funem iniicere pararent, nihil eſſe opus Xauerius monuit; ſponte enim ad matrem filia rediit, & ad o-
neraríæ

nerariæ latus ſe applicuit ſcapha ac continuit, dum firmiſſimè religaretur. mirum dictu; cum inanem iã ſcapham ſubmouere vellet nauicularius, inhibuerunt qui in ea reduces fuerant, clamantes vti prius Xauerio manum, qui adhuc reſideret in ſcapha, porrigeret; reſpondentique nautæ Xauerium in oneraria ſemper fuiſſe certatim affirmarũt, quamdiu illos tempeſtas agitaſſet, affuiſſe eis Xauerium, eos ſolantem, & ſcaphæ curſum ad onerariam dirigentem: tum intellectum eſt Franciſci pro illorum ſalute ſupplicantis ſpeciem eis prȩſto fuiſſe, quod & de ſancto Nicolao memoriæ proditum eſt.

Euocatus in Luſitaniam Borgia tum à Rege, tum à patre Natali comitem itineris habuit Buſtamantium; in eo itinere dum præruptũ & ſaxis aſperum mõtem ſuperant, haud procul Conimbrica vltra mũ- *L.13. n. 45.*

dæ fluminis ripam, præitque Borgia in oratione defixus, & diuinarũ rerum contemplatione ſuſpenſus, ſequebatur Buſtamantius ſertum è globulis manu verſans, quibus & ſingulis Dei Matrẽ ex vſitata formula ſalutabat: cui dum perãguſto tramite loco ſane lubrico, & ſcopuloſo ſecurus obequitat, mula, cui inſidebat, repente prolapſa ruere præceps per rupes altas & voragines cœpit aſpectu ipſo formidabiles. Magnæ tũ vero tenebræ, magnus error, in eaq; ille mente dũtaxat conſtitit quod dulciſſima IESV, MARIÆq; nomina magnis clamoribus implorabat. Borgia, vt clamãtem ſociũ, & viatores quoque ac paſtores vociferantes exaudiit, qui ad horribilẽ Buſtamãtij caſum clamores illico ſuſtulerant, conuerſo aſpectu ſocium per ſalebras deſpicit volutabũdũ vna cum mula, ſurſum deorſum præcipitem ferri: tũ conie-

coniectis in cęlum oculis cari ſocii periculum deprecans Ieſus, inquit tibi præſto ſit, & tu Pater miſericordiarum hominem protege. Vix hanc Borgia precem fudit, cum ipſo temporis momento mula conſiſtit loco tam arduo, tamque ad imprimendum veſtigium lubrico vt admiratione propemodũ obſtupeſcerent, qui ſpectabant. Inuẽtus eſt integer & illæſus Buſtamantius vna cum iumento, ſuſpenſa è manibus quam dixi corona. Cumque emergere tanta ex voragine barratroque non poſſet, extrahitur à viatoribus funium adminiculis, diuinã identidem prædicantibus mirantibuſque clementiam, quę illum tãto in diſcrimine ſaluum incolumẽque ſeruaſſet. Non tulit Mater miſericordiæ quæ ſæpè etiã occurrit miſeris nõ vocata, vt ſupplicẽ ſuũ tot ſe ſalutationibus inuocãtẽ in tã præcipiti lapſu, tãtaq; ruina deſere-

ret: & vero ille tã pręſentis mortis effugiũ eius tutelæ potiſſimũ; deinde vero Borgiæ precib⁹ aſſignabat.

Qui primi Societatis Patres in Braſiliam traiecerunt ad oppidum Portus ſecuri ſedẽ ſibi delegerant, leuca circiter diſſitam, cæli ſalubritatem & ſitus amœnitatem ſequuti, templumque Virgini Matri adiutrici dicarant: ſed crebro tumultu, belloque inter barbaros orto, coacti ſunt in oppidum ſe cõferre. Cum id templum edificaretur, & cum alię ad victum opportunitates ſuppeterẽt, vnaq; potãtibus aquæ copia deſideraretur, admirabili caſu fons mire oportunus & ſalutaris erupit. Arborem ingentem ſecus fabricam vnus ex operarijs cõſcenderat, cumque ligna cœderet, illico conuulſa ad terram cadens arbor hominem molliter humi expoſuit, ſuaque ruina montem cui adherebat ſecum traxit: ex illo

L.11. n. 66. & vita Ioſephi l. 4.

hiatu

hiatu limpidiſſimus fons aquæ potabilis erupit, quæ ad pellendos morbos, aſperſa vel epota præſentem vim haberet, & nunc ex ipſa Virginis ara videtur emanare, & tũ Chriſtianorum peregrinatione tũ Ethnicorum ſermone celebrata aqua ſanctæ Dei Matris ab adiutorio nuncupatur. Hanc ſedem vna cum templo & aquæ cuſtodiam numquam Patres deſeruere, ſed ad religionem piumque cultum retinendum oratorij ſeu eremitorij nomine conſeruarunt. Ad hoc Virginis templum cum Franciſcus Diazius graui periculoſoque morbo laboraret, ab Ioſepho Anchieta quaſi voto ſe obligans petiit, vt die poſtero pro ſe offerret miſſę ſacrificium: morbi genus erat ignis ſacer, ſeu ſupercutanea inflammatio, quam nobiles medici Cauſterem vocant. Is in extima cute circa umbos dextro è latere naſcens cũ

acer-

acerbiſſimo cruciatu quaſi perpetuo cinctu in orbē ſerpit, cuius ea natura eſt vt ſi extrema coeant capita, exigua admodū vitę ſpes ſuperſit, Ioſephus haud grauatè ſacrū ſe pro eo facturū ad Diuæ Virginis recipit. Interim tamē (inquit) vnge morbi locū oleo ex lapide quæ ardet ante ſacram Euchariſtiam, non ægrum erit Matri nos prius ad opem à filio petendā confugiſſe; ea inunctio dolorē mitigauit, & quaſi quidā præs futuræ valetudinis fuit. Poſtridie Pater ad templum ſe virginis contulit, promiſſique fidem liberauit, quo eodē die poſt miſsā cum ſe aqua ex eodē fōte ægrotus, qui vna venerat, abluiſſet, & dolore & morbo prorſus liberatus eſt, vnaque Bayam diuinæq; Matris laudes deprædicātes peruenere. In eo Bayenſi ſeu Saluatoris Collegio Frāciſcus Fernandus nondū ſacris initiatus longo tēpore quartana laborauerat, & cum die feſto Pręſentatio-

Digitized by Google

nis Virginis, quem diem S. Matris à Scate nuncupāt, 11 Kalendas Decembris, multi è Bayenſi Collegio ad eiuſdem Collegii templum eius inuocationis duabus leucis Baya diſſitũ proficiſcerentur, hærebat quarternarius in Collegio; erat enim dies paroxiſmi. Rogat Pater Ioſephus Prouincialis, cur non vna cum aliis communem diei religionem obeat, eo die reſpondet ſe febrim expectare; vade nihilominus (inquit) Pater, atque ita eam iſtic relinque, vt non ampiius te adoriatur; iuit, ſęquaque ibi eum inuaſit febris: confert ſe ad templum, atque ante altare virginis abiectus ſupplex ab eius clementia opem petit; eo ſe Ieſephi iuſſu veniſſe, ab ipſo ſibi mādatũ eſſe cõteſtās, ne febrim inde referret ad Collegiũ; fauit Ioſęphi præcepto & iuuenis obedientiæ ſanctiſſima mater, ratāque habuit Patris authoritatẽ, ægrotuſq;

mo-

Digitized by Google

moleſtiſſimo in poſterum morbo leuatus reuertit ad Collegium. Societatiſne fuerit Fredericus Fornerus S. Theologiæ Doctor, Bambergæ Cathedralis Eccleſiæ Concionator, haud habeo compertum, ex eius tamen eſt literis ad noſtros Monachienſes, quod narrare aggredior. Martinus Guttric Com-
4. Ioan. 1608. burgenſis locupletibus ortus parentibus famulum honorarium agebat & amanuenſem nobili Catholico, cum eum tabes, & hectica febris inuaſit, incertum an ex philtro vt quidam ſuſpicabantur, an alia ex cauſa. Medici periculum vitę denuntiant, ac breui plane deſperant: ſolantur qui frequentes adſunt decumbenti pro more gentis congerrones hęretici nobilium famuli: æger contra contendit aduocari ad ſe medicum animæ Fredericum Fornerum Bambergenſem concionatorem, impelli ſe ad ca-
tho-

tholicam fidem amplectendam, ac fore, vt natalitia celebret in cælo cum beatis. Obſtant illi; aduocaturos ſe miniſtrum Waldorfienſem, equo illum de nocte clam inducturos in vrbem, dummodo ne curet Papiſtam ſacrificulũ accerſiri: contra vociferatur ille, & omni ratione contradicit clamoribus & ſuſpiriis expetẽs alloquium doctoris Forneri. Domeſtici Catholici vicem eius miſerati ipſo feſto Conceptionis Immaculatæ B. Virginis ad Fornerum veniunt peracta concione, ac ſolemni ſacro decantato narrant quæ geſta ſint, & ægri ardentia vota ac poſtulata referunt: accedit Fornerus, & offendit Comburgo miſſos tum à Parente qui exhæredatione aliarũque pænarum minis, tum à Ioanne Caſimiro Saxoniæ Duce Comburgẽſi contendant ne Papiſta fiat, ille conſtanter intrepideque reſpondet

det,ego parentis mei terrenam hæreditatẽ nihili iam facio, iam filiorum Dei cæleſtem mox initurus adoptionẽ. Rogat eum Fornerus quid cauſæ ſubſit ob quam tantopere Catholicus eſſe,& in Eccleſię gremium recipi velit;reſpõdet nocte proxime præterita, erat is dies (vti dixi) Conceptioni B. Virginis ſacer, Beatiſſima Dei Mater magno circũfuſa lumine adſtitit mihi, dixitq; quia me ſępius deuotè & intimo cordis affectu ſalutaſti, ecce ad te venio & moneo inſtare obitũ tuum, aduocato igitur ſacerdote in Eccleſiæ Catholicę gremiũ adſcribi poſtula, peccata tua integre confitere,& ſacram ſynaxim ſuſcipe, nocte enim natiuitatis filij mei, qua prodijt ex vtero meo natus in hunc mundũ,illa ipſa hora veniam, & animam tuam mecũ abducã ad gaudia cæleſtis feſtiuitatis. Interim morbi moleſtias ad peccatorũ tuorum expiationẽ patienter feras. At

Digitized by Google

Fornerus, cũ ex hęreticorũ (inquit) exiſtas numero, quibus, vt mitiſſime dicã Deiparæ cultus & honor nõ eſt cordi, qui hanc ab illa gratiã tã eximiã es promeritus: at ille, Domine, aiebat, bienniũ eſt ex quo Bãbergæ commoror: ſæpè cũ nobili Domino meo Catholico audiui conciones, in quarũ vna quæ ex te mihi cõtigit, dignitatẽ Matris Dei copioſe abs te explicari audiui, quãtopere ab omni fideli, & pio catholico honorãda ſit; iugiterq; tum angelica ſalutatione ad ei gratulandũ de filij Dei Incarnatione, tũ adiũcta precatione, *ora pro nobis*, ad præſidiũ patrociniũq; inuocanda: ex eo tẽpore id ego quotidie præſtiti ſepties mane, ſepties veſperi genibus nixus, interdiu aliquoties; aliud nihil à me præſtitũ recordor honoris Matris ac filij cauſâ. Quod reſtat ſupplex rogo per te recõciliari eccleſię ſacramẽtiſque ad exitũ cõmuniri.

For-

Fornerus ſe non renuere; videret tamen ſerio ne quid fingeret. Ille, docebit euentus veriſſima hęc eſſe, & non inania figmenta; atque ita de peccatis confeſſus & abſolutus ſacro quoq; viatico refect⁹ eſt. Cũ ingraueſceret morbus, & de extrema moneretur vnctione, nondum, aiebat æger, eſt maturum, vigiliam ſe natiuitatis expectaturum. In vigilia mittit ad Fornerum, & ſacro vngitur oleo, cumque ad aram ſacrũ media nocte faceret Fornerus, haud diu poſt ab hoſtiæ ſacræ eleuatione, cum ventum eſſet ad ſacram communionem nuntius affertur Martinum hoc ipſo momẽto læto & hilari vultu, diſceſſiſſe. Ab eius morte manſit hilaritas in vultu, fuitque colore viuido, & longe formoſior quam dum ſanus ageret. Sepultus eſt in Eccleſia parochiali ſub auſtrali porta, quo loco petierat. Nõ deerit clementiſ-

ſima

ſima Mater clientibus ſuis & alũnis, Religioſæ quam amat familiæ piè ab ijs implorata, quæ extra Chriſti caſtra Lutherano non peſſimę mentis vix toto eam biennio ſalutanti non defuit.

CAPVT XXVI.

De ſtatua B. Virginis Foyenſis ſeu Fidei, & lapillis miraculo celebribus in eo agro repertis.

ADMIRANDA ſane ſunt diuini numinis conſilia, & ſupra ſpẽ omnem benefacta, quod afflictis hiſce ac turbulentis Galliæ Belgicę temporibus ad opem mortalibus ferendam, ac ſanctiſſimæ Matris augendæ gloriam duplex illius omni genere miraculorum illuſtre ſacrarium ac velut ærumnoſorum aſylum patefecerit.

Cum nondum exaruerit ſed adhuc ſcaturiat illa B. Matris eximiæ bene-

beneficentiæ vena ditiſſima, quæ ſuperioribus annis in Acuto mõte ad oppidum Sichemienſe ſe prodidi, titerum in agro Foyenſi Dionãtinæ regionis emerſit fons vberrimus Deiparæ beneficiorum & miraculorum, perpetuo confluentium vndique peregrinorum affluxu frequentatus. Quibus peregrinis ad ſpiritale ſubſidium atque ſolatium præſto ſunt homines noſtri qui continenter accerſuntur è Collegio Louanienſi ab ijs qui ad B. V. Sichemenſem, è Dionantenſi qui ad Foyenſem, ſeu Fidei, eo toto propemodum orbe Chriſtiano frequentes adeunt. Ac ſi de miraculis quæ hodieque per clementiſſimam Dei Matrem tum Sichemij, tum Foy plurima eduntur dicere velim, duo mihi iuſta complenda ſint volumina: paucis dumtaxat de ſtatua Beatæ Virginis Foyenſis, quæ recen-

tior

Digitized by Google

tior eſt hiſtoria, nondum adeo multorum litteris celebrata, collegio Dionantenſi ob viciniam noſtrorumque hominum in Deiparam colendam ſtudium annexa, dequæ lapillis, quos primi diſcipuli noſtri compererunt, miraculorũ gloria celebribus ediſſeram.

Quercus erat annoſa & procera, cuius in octo pedes ſeſe diameter explicabat, quam vix ſuo complexu quini homines cingerent, quo indicio trecentis abhinc aut quadringẽtis annis ſtetiſſe credebatur. Hæc dum in fruſta cæditur pabulum ignis futura, in ipſius trunci meditullio ac corde reperta fuit paulo maior pedali ſtatua ſanctiſſimæ Virginis, filium Deum geſtantis; fictilis quidẽ illa ac teſtacea, ſed eleganti forma, mira totius oris ac corporis venuſtate ad celeſtẽ quãdam maieſtatem compoſita. Credibile eſt iam olim ante aliquot

ſæcula

ſæcula cum primum illa quercus adoleſceret, cęſo apertoq; cortice ſtatuam illi impoſitam atque affixam, poſt excreſcēte ſenſim robore, interceptā atque incluſam in illius viſceribus tamdiu delituiſſe; cui rei fidem faciūt quoque, reperti clathri ferrei vetuſtate propemodum exeſi ac conſumti, quorū ſepto incluſa tenebatur. In alio item eiuſdem quercus fragmento velut ad Deiparæ pedes rite compoſitum puellare capillamentum virginitatis, vti coniectura eſt, Virgini Matri dicatæ monumentum. Denique vulgares cærulei quidam lapilli, & ipſi ſenio obſoleti, quos quâ de cauſâ Reginæ Cœli conſecrarint, haud facile eſt diuinare. Suſpitio quoque eſt à prioribus illis ſæculis B. Virginem hoc loco coli ſolitam à peregrinis, vt non noua neque recēs orta, ſed vetuſta & poſtliminio reuocata & redintegrata

tegrata

tegrata videatur hæc religio. Nam ex itinere quædam eſt vallis & depreſſa planities, quę ante omnem hominum, qui ſuperſunt, memoriam à peregrinantibus nomen inuenit. Cum aliquamdiu domi ſepoſita & ſine cultu & honore iacuiſſet Imago hæc Deiparę, iuſſu Toparchæ alteri propinquæ affixa quercui miraculis clareſcere cœpit ac peregrinorum ex omni vicinia regione concurſantium multitudine frequentari, dum aliquando eiuſdem cura Toparchæ ſacellũ eo loco conſtrueretur, quo prior ſtetiſſet illa quercus, cuius in trunco tot annos Imago ſacra latuerat. Ad id ſacellũ Sereniſſimi quoque Belgarum Principes Albertus & Iſabella Auſtriaci peregrinationẽ inſtituerunt miraculorum fama permoti, ac pro eâ quâ ſanctiſſimam Dominam noſtram colunt pietate, multis locum muneribus exornarunt;

runt; inter cætera tabellam affabre factam in arâ principe locandā donarunt, quam Dionantenſes noſtri diſcipuli agmine pulcherrimo ſupplicantium ritu detulerunt, oblatoque per ſingulas claſſes cereo, ac breui carmine Sanctiſſimæ Matri recitato dedicarunt. Ab eiſdē quoque diſcipulis noſtris primum eſt obſeruatum, quod à ceteris deinceps magno plauſu celebraretur. Ager eſt proximus ſacello Virginis: in eo leui terræ conuerſione ſplendētes gemmarum in morem effodiuntur lapilli tanta colorum varietate ac venuſtate, vt natura, vel naturam ſupergreſſus Deus, in ijs mirifice luſiſſe videatur.

In his adamantis candidus nitor, in illis onychius pallor arridet; in iſtis pyropi micat ignis, in aliis cryſtalli lux effulget, quidam chryſolici aurum, alii ſmaragdi virorem, lac alij galactites, alij epali roſam, aliqui

aliqui amethyſti purpurã, alii hiacinthi violam, nonnulli coralli coccum, alii hæmatitę ſanguinem ęmulantur; nonnulla ſaturum ruborem amant, aliis dilutus rubor gratiam conciliat; denique videtur in hunc agellum Beata Mater omniũ gemmarum colores ac pretia trãſfudiſſe. Quodque magis mirandũ, diuiniorem quandam vim iis indidiſſe ad ſalutem mortalibus impertiendam. Nam plurimi ſolo lapillorum attactu grauiſſimis leuati ſunt doloribus, ac periculoſis erepti morbis: febricitantibus vero paſſim hauſtus puluiſculus lapillorum, aut potionis cui fuerit iniectus ſacer lapillus, ſegminum denique vtriuſque quercus ſaluti fuit. Theologo viro iã ętate pręgrandi mihi eiuſdem vitæ rationibus aliiſque multis nominibus coniuncto cum peſtifera lues graſſaretur, enatum vlcus peſtilens ac lethale

ab aure in humerũ; vt de vitâ planè conclamarent medici. Venit in mẽtem Deiparæ Foyenſis opem implorare, ac lapillum vlceri imponere, tum aquam cui lapillus ſacer erat iniectus potare, voto nuncupato, ſe quinquies ad aram Virginis Foyenſis facturum. Illico ſenſit vlcus maturuiſſe, ac pręter ſpem medicorum erupit, eaque via expurato omni noxio humore priſtinę ſanitati reſtitutus, multos adhuc annos S. Theologiæ lucubrationibus ac ſanctiſſimæ Matris laudibus celebrandis impendere ſe poſſe confidit. Cetera miracula, illuminatos cœcos, erectos claudos, hernioſos ſolidatos, curatos languidos, & apoplecticos, mortuos infantes ad vitam & baptiſmum exſuſcitatos, conſultò prætereo. Non vulgaris mihi miraculi loco eſt ipſe admirãdus peregrinorũ vndequaque cõfluentium è Belgio atque extrema

Gal-

Galliâ concurſus, ſummuſque aduerſus Deiparã pietatis ardor, qui fruſtum aliquod ac ſegmentum iſtius quercus ſiue prioris quæ ſacram ſtatuam ſuo complexu tot annos occuluit, ſiue poſterioris, in qua locata triennio prima edidit miracula, lapillos item hoſce ſummi, infimi, plebei, viri nobiles, Principes ſummopere expetunt, ac eximio quodam ſenſu religionis aſſeruant. Ex ſegminibus ac fragmentis quercus effigiantur inſignes ſtatuæ ad prototypę normam & ideam, aut cruces efformantur, aut corollæ precatoriæ torno effinguntur, lapilli aut eiſdem corollis inſeruntur, aut palis annulorum includuntur, aut in thecis religionis cauſſa aſſeruantur. Quidam ſuapte ſponte forati reperiuntur velut ad precatorias corollas facti, quidam à vero adamante vix differant; ob duritiem chalybi ſeu vitro inſcribendo

 bendo

bendo oportuni, cæteri facillimè ſecantur, & fere in hexagonam figuram quâ ſtellæ formam repręſentant; vt B. Matris quæ ſtella eſt maris, & ſtellis coronata, memoriã ingerant. Nemo enim adeo rudis eſt qui neſciat in fragmentis quercus aut lapillis iſtis nullam ineſſe vim natura inſitam miracula patrãdi, ſed quod iis Deus ſupra naturæ curſum ac vires effecta quędam edat admiranda, id pro arbitrio clemẽtię ſuæ facit ad memoriam ſanctiſſimæ ſuæ Matris in animis noſtris exſuſcitandam, ne quando nos vnquam tam beneficę parentis obliuio capiat: tum denique ad ſuperbiam noſtram edomandam, & inſerẽdam humilitatem quam præ cæteris virtutem amat ſanctiſſima mater, & cuius ſtudium ſuis ſectatoribus cupit eſſe commendatiſſimum, vt illam in iis quoque minutis iconibus, fragminibus quercus

ac la-

ac lapillis, & in ipſa] Deum pie ac religioſe colamus.

Per haſce vero ieiunculas. cruces, corollas, gemmeoſque lapillos præclara ſeſe obtulit hominibus noſtris occaſio Deiparę cultus amplificandi, & in exteras vſque regiones propagandi. Nec incommode ſe Domina noſtræ fidei prodidit in eius Principis ditione cui pro ſymbolo illud eſt, Auitâ Fide cum aduerſus auitam fidem hęreſis Caluiniana ſi quando alias atrociter exſurgere, & in Principes ſuos rebellis Chriſtianam perturbare Rempublicam omni ope cōtenderet.

CAPVT XXVII.

Documenta quædam Religioſis Societatis Ieſu pernecesſaria à ſanctiſſima Dei Matre, vt credi poteſt, pie procurata.

QVANTI referat Deo ſe totũ in Religioſis obſequiis tradere, vtque de nobis ipſis minime præfidendum ſit ac præſumendum de quorundam tarda ſub vndecimam aut duodecimam horam vocatione, deque ſemper incerta, ac ſollicite flagitandâ perſeuerantiâ præclaro quodam exemplo, quod ad Deiparæ quoque in ordinẽ noſtrum curam & prouidẽtiam pertinet, erudimur in vita Patris Ioſephi Ancietæ Prouincialis Braſiliæ. *Lib. 4.* Fernandus Luſitanus cœmenterius Faber, vir integritate vitæ, & pietatis ſtudio imprimis probandus, Bayenſis Collegij Fabricę loca-

locauerat operas. Hic cum in ſacra templi turri æra campana ſuſpenderet, venit eo Ioſephus, & magna voce inclamans, Ioannes Fernande inquit, accurrate apta æra iſta, tu enim primus è noſtra Societate futurus es, in cuius funere ipſa pulſabuntur: & huic erat coniux in Luſitania. Pręteriere ab eo monito pauci menſes, & tēpus appetebat quo Pernambucenſe Collegium ſui muneris obeundi cauſa luſtrare deberet, ipſique ſuadebant patres vt antequam idonea tempeſtas efflueret, nauigationi ſe cōmitteret: ille interim per diſſimulationē procraſtinabat, atque vni tandem patrum dixit: Vrgent meā profectionem, neque ſciunt diuinę eſſe voluntatis vt feſto die Cōceptionis Virginis hic ſim; certa enim in illum diem me manet occupatio: quæ cuiuſmodi foret tum demum cum rediit, intellexit. Victus

Q 5 ſocio-

ſociorum monitis profectionẽ parat, & cum in diſceſſu Patres Fratreſque de more amplecteretur, cum ad Aloyſium Fonſecam Sacerdotem veniſſet, bene vale, inquit, care comes, meque interim hic expecta, es enim mecum iturus Pernambucum, & ego de nauigatione hac te accerſitum redibo. Conſcendit tandem, ac cum plus triginta dies nauigaſſet, aduerſa tempeſtate in eundem vnde diſceſſerat portum reiectus eſt: Collegium ingreſſum Patres ad eius cubiculum deducebant, cum ille ſe alio vocari ſignificans ad hoſpitium ſe confert, in quo fabri, qui collegium extruebant, diuerſabantur, vbi Ioannes Fernandus iamdiu graui morbo preſſus decumbebat, & non multo ante certum de vxoris morte nuncium acceperat; idq; totum Ioſephus diuinitus reſcierat, Accedit ad cubiculum amicaq; ora-

oratione hominem ſalutat, ac piis monitis, mærentem duplici malo, conſolatur; mox ſubiicit; B. Virgo Mater noſtra me mittit ad te, vt te in Societatem noſtrã admittam, vnaque nobiſcum cõmuni in fraternitate perſeueres, tibique id oneris impono, ob gratiam tãti beneficij, quo te hodie illius amore afficio, vt mei memor ſis cum ad conſpectum S. Matris perueneris ſeptimo abhinc die: indeque eum tanquã vnũ è fratribus in Collegiũ tranſportari, curarique iuſſit. Tertio inde die hominem inuiſit, eique magna lætitiæ ſignificatione, Ioannes frater, lætum, inquit, optatumque nũcium ad te perfero, bona tua coniux ante conſpectum Dei te præſtolatur: indeque digreſſus dixit multis audientibus, tam boni viri vxor fieri non potuit vt periret. Septimo demum die, vt ipſe prædixerat à ſuo in Societatẽ

ingreſſu, ægrotus præſente Ioſe-pho, Sacerdotibus reliquis, aliiſq; multis eius Collegij Fratribus, qui ſuis precibus abeuntem animam iuuarent, exceſſit è viuis. tum Ioſe-phus exurgens magno cum animi ſenſu cunctis audientibus, viri Fra-tres inquit, huic homini, quem nunc ipſi ex hoc loco ſpiritum ante oculos noſtros in Dei manus red-didiſſe ſpectauimus, cum tota vita fabrilem artem exercuerit, maxi-mamque eius partem, matrimonio coniunctus, Deus ſeptem dierum ſpatio religionis, religioſęque vitæ prꝗmium repręſentauit, quoniam penitus ſe toto cordis affectu Deo permiſit, vt poſtremo vniuerſi iu-dicij die exiſtat in iudicium & dam-nationem multorum in ſuę ſtudio Religionis torpentiũ, quorum nõ-nulli adſunt in hoc cœtu, qui cum multis annis in religione verſati ſint, numquam tamen Deo ſe to-

tos

tos tradiderunt:hi merito,iureque optimo religionis prœmio fruſtrabuntur. His dictis è cubiculo ſe proripit, attonitis cunctis ac pallenti vultu relictis, nec ita multis poſt annis eam prædictionem minime inanem fuiſſe conſtitit, cum vnus ac alter eorum quos ſuo ſermone perſtrinxerat, & præſentes aderant,à ſua poſtmodum vocatione defecerint. His attexam quæ magnus virtutis magiſter, idemq; Deiparæ virginis eximius cultor, & Societatis noſtræ perquam ſtudioſus M. Auila Iacobo Guſmano, & Gaſpari Loarti ad Societatẽ è ſua ſchola & diſciplina profecturis egregia tradidit documenta, cũ B. P. Ignatij ſenſu mirifice congruentia. Quoniam ad eam Societatem acceditis quæ in ſubleuãdis animis tota verſatur,ante omnia,proponite ac perſuadete vobis veſtrum id eſſe vnum fauere atque alere

Orlan. din. lib. 14. n.57.

alere voluntatem de omnibus bene merendi, & precibus apud Deũ de ſalute omnium eſſe ſollicitos, delectum vero operum, ſtudiorũ, temporum, ac rerum huiuſmodi per quas in auxilium proximorum elaboretis nequaquã pertinere ad vos, ac ſi qua interdum eius generis cogitatio animum pulſat, perinde atque alia manifeſta diaboli tentamẽta repellite. Hęreat menti veſtræ Monachi eius vox, ego veni iudicari non iudicare, atque adeo à iudicandis factis alienis ita refugite, vt à re tanti periculi, quæ poſſit à diuina gratia deiicere. Credite ſuperiores à Deo regi conſiliorũq; ſuorum habere eos cauſas & fines, qui vos lateant; denique nihil iudicare optimum eſt, ſed obiectare
Ioan. 21. ſibi, *quid ad te? tu me ſequere.* Niſi vos ita extricatis, nulla vobis quies erit, nec vita vitalis: credite vos & permittite totos obedientię pro inſigni eam,

ni eam,

ni eam habentes diuino munere conceſſo mortalibus, ac ſperantes ea via fore vt Deus vos regat; quæ ſpes non hominis regentis niti ſapientia, ſed Dei pollicitatione debet, qui humilibus præſto eſt. Perfruemini pace magna, multumq; breui proficietis, ſi fiduciam in obedientia magnam locabitis. Nihil commoueat vos quaqua tandẽ in re opera veſtra adhibeatur: etenim cum ex conſeruatione, & incrementis huius familię pendeat magnopere vtilitas animarũ, quidquid ei conſeruandæ ac promouẽdæ conducit, vel ipſum lances patinaſque purgare, id demum eſt animas conuertere, & ſumma voluntate eſt peragendũ. Cogitatione igitur à propriis, & certis abducta operibus, id curate dumtaxat vt pareatis, quodque vobis præcipitur non tã propter ipſam rẽ agatis, quam quia præcipitur, permagni
æſti-

æſtimãtes quod eius corporis mẽbra vobis Deus det eſſe, in quo maieſtati ſuę exhibeatur obſequiũ. Exiſtimate vos ire ad crucem, & animo eſte ſic præparato; vt nulli cauſa velitis eſſe querimoniæ, ſed quidquid vobis in quolibet accidat, id pacate feratis ac lubenter. Diſſimilitudo ingeniorum atque varietas nuſquã inter homines deeſt, vbi multorum eſt cætus, itaq; vobis mira non accidet, ſed quem vitæ communitas non probauit, eum ne facile creditote multũ profeciſſe. Hic vos pręcipue vires intendite, nullis vt cauſa veſtra turbetur quies, & curſus impediatur, iniurias feratis cum gaudio, proculcari velitis vt lutum, minimi & nouiſſimi eſſe pro Chriſto. Hic vero attentione opus eſt; nam ſi paululum hæc cura remittitur, ruina eſt in proximo, quia impugnatio non remittitur. Attendite

vobis,

Digitized by Google

vobis, fugiteque in cæteros quaſi magiſterium exercere; omnia tractate ea reuerentia, qua par eſt Dei negotia, memores acceſſiſſe vos ad viſionem Dei in rubo Chriſti, & locum in quo ſtatis vere ſanctum eſſe, qui terrenorum affectuum emortua non patiatur integumenta. Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, vt penitus renuncietis vobis ipſis, non cupiditati ſolum ac volũtati, ſed potiſſimum intelligentiæ ac ſenſui veſtro. Hic eſt conſolationis cæleſtis exterminator, hoſtis pacis, ſatelles contumaciæ, cenſor ſuperiorum, pater diſſidii, rebellis obedientiæ, idolum in loco ſancto Dei ſtans, quod iterum atque iterum moneo vt demoliamini; vt Deus ibi per fidem regnet, multa fiducia perſuaſum habentes eum id velle quod prẹſides veſtri prẹcipiant. Vnicum ſolatium ac perfugium habetote,
id

id quamdiu ſtabit, recte vobiſcum erit. His Auila cum Loartem, Guſmanumque, quos Natalis in Italiã deducebat, ſupremis monitis inſtruxiſſet, eoſdem inſuper Olauio pro veteri amicitia præclara commendauit epiſtola, in qua & ipſum duabus præcipue de rebus admonuit. Primum vt gratias agens ſummas de Religioſæ dono vocationis caueret inde quidquam ſibi ſupra cæteros arrogare, ſed, conſilio S. Bernardi ad fratres de monte Dei, ideo ſibi plura & maiora adminicula ac præſidia neceſſaria fuiſſe crederet, quod infirmior & ignauior eſſet: ſæpe enim Deus homines, qui ſibi de Religioſorum Ordinum excellentia placeant, ita ſolet vlciſci, vt ſinat ipſoſmet tam aridos, corde pauperes ac miſerabiles fieri, quam eſſe externos ſibi ipſi fingebant. Deinde quod tam impenſe Guſmano & Loarti de ſubii-

ſubiiciendo ſenſu, iudicioque mãdarat, id ipſum Olauio grauiter multiſque denuntiat, vt ab iudicio proprio tanquam hoſte capitali etiam atque etiam caueat. Inde doctos diſcrimen maxime periculoſum incurrere, quorum multi iuſto Dei iudicio arceantur nec deguſtent ex arbore vitæ, quod immodice ex arbore ſcientiæ paſti ſint. Profundam orationem, ſimplicitatem cordis, conſuetudinem cum ſimplicibus, contra inflantem ſcientiam remedia eſſe, contraque iudicij proprij peſtem, in qua depellenda non minus diu laborandum eſſe neque languidius quam in remouenda prius inſcitiâ laboratum ſit. Hæc prolixius commemoraſſe non piguit quod & ab amantiſſimo Deiparæ Virginis Magiſtro Ioanne Auila, vt eius præclara monumenta teſtan-

teſtantur, ad perquam ſtudioſos Deiparæ diſcipulos primoreſque noſtræ Societatis Patres, eo quoque genere ſcriptorum de Deiparæ myſteriis celebres, Loartem, Guſmanum, & Olauium, qui primus Romano in Collegio Theologiam docuit, & immaculatam Beatæ Mariæ Conceptionem aſſeruit, quæ ab ipſamet Deiparâ optima Societatis magiſtra, profecta videantur. Nec omittam quæ de Auila Michael Turrianus ad B.P. Ignatium perſcripſerit: quam (inquit) de Patre & Magiſtro Ioanne Auila conceperam animo opinionem eam confirmaui vehementer, cũ in hominis congreſſum vſumque perueni. Fuit maximum mihi, eius ſinceritatis & veritatis ſpiritus argumentum, cum vidi quod ex animo complectatur & excipiat ſpiritum Societatis, & cuncta eius inſtituta; idque ait ſe facere naturali qua-

li quadam quaſi proprij amoris illecebra; quod omnia plane congruant cum ea forma quam in animo ipſe deſcripſerat: id eſſe quod ſuo in ſpiritu ſentiebat & ſentit, verum ſe paranymphum inſtar S. Ioannis fuiſſe, & gaudio gaudere propter ſponſum; nec aliter ſibi cõtigiſſe atque ſi puer conetur ingentem lapidem attollere, qui dum prę virium infirmitate rem numquam perficit, vir ſuperueniens robuſtus pro virium magnitudine tandem nullo negotio tollit, ſuoq́; loco aptè conſtituit. Quo ſcilicet vir modeſtiſſimus ſeipſum paruulum cum viro valido conferebat B. Ignatio, cui onus hoc alienæ curandę ſalutis multo quàm ipſe melius ferret, ac ſuis humeris ſuſtineret: & addebat, quamuis ipſe pro voto Societatem inire per ætatis vires non poſſet, curaturum certe vt ad eam quamplurimos, quot-

quot

quot idoneos reperiſſet ex ſua diſciplina ſubmitteret, nec minus ei foris quam intus prodeſſet. Haud aliter ab eo factum & dictum: complures ex eius diſciplinâ deinceps & quidem optimi ad nos prodierunt: & inter nos ſanctè, pieque vixerunt. In quibus eminet Antonius de Corduba Comitis de

L.9,n.61 hiſt.Soc. Feria frater, cuius in Societatem amorem ita confirmauit & auxit Auila, vt eam Antonius non dubitarit amplecti, ſumma Hiſpaniȩ totius admiratione. Semel, iterumq; ad eũ de Societate, ſumma cum laude ſcripſit, cumque ex eius vſu Antonius multũ in anima boni commodique cepiſſe ſe profiteretur, inſtitit Auila ne maiora expectaret experimenta diei, nec ſe inutili cunctatione data à Deo opportunitate, ſubitæ mortis interuẽtu, priuaret. Ad extremũ præſtans hic virtutis Doctor ſeũ Societati plurimum

rimum & authoritatis, & gratiæ ſua in eum eximia beneuolētia cõparaſſet ſupremo vitæ ſuę die corpus ſuum Montillæ iuſſit ſuę volũtatis pignus in æde noſtra ſepeliri, ne ab eorum Societate ſeiungeretur mortuus, quos impēſe adeo viuus dilexerat & omni officio complexus erat. Hactenus Auilæ monita; ſed mihi diua mater manũ hic iniicere, ac filium ſuum B. Ignatium omnium monitorum atque exēplorũ loco, videtur oſtētare, quē in hoc curriculo perfectę virtutis certũ & expeditũ ducē conſequamur.

Hunc enim dictatis abs ſe exercitiis ad ſummum inſtruxit induxitque apicem perfectionis multiplicemque precatione mixtam cõſiderationem, quæ fuit illi & nobis omnibus eſſe debet, ad omnē virtutis abſolutionem certiſſima via, ſuggeſſit. Habuit hoc proprium B. Ignatius vt conſideratione pluri-

mum

mum vteretur, cum diceret hominem à belluis ratione differre: triplicem vero potiſſimum adhibuit in omni vita, quæ triplici illi viæ, vt vocant, purgatiuæ, illuminatiuæ, & vnitiuę reſpondet. Vnam de creationis fine quam fundamentũ exercitiorum appellat, qua reſectis ſiniſtris affectibus vnam ſibi pro ſcopo defigebat maiorem Dei gloriam, animæque ſalutem, ac ſemper ſtabat in æquilibrio rectæ electionis; alteram de Chriſto Domino Duce ſequendo, quæ ſecundæ & tertiæ præit hebdomadæ, ad quod vnum à Deo nobis datum virtutum omnium abſolutiſſimũ exemplar vitæ noſtræ rationes sũt componendæ. Atque eo B. Pater in Chriſtum ferebatur affectu, vt longe mallet cum eo paupere ſpreto & illuſo, pauperiem contemptam & inſipientię probrum abſque culpa perpeti, quam opibus, honori-

noribus & magna gloria circumfluere, tametſi par foret vtrimque Dei gloria, parque facilitas conſequendæ fęlicitatis. Tertiam qua cõcludantur exercitia ad excitandũ Dei amorem recenſitis beneficiis communibus & priuatis naturæ & gratię, agnitoque Deo in operibus ſuis intime pręſente, atque eis cooperante; quo incenſus amore B. Ignatius totum ſe impendebat obſequio diuino: neque tamen eius conſuetudinem aut ſuauiſſimæ præſentiæ fructum intermittebat, cum diuinum numen in omni re creata veluti veſtigio quodam in hominibus tanquam in imagine ac templo continenter adoraret. Neque perfectas tantum virtutum actiones edebat, verũ & omni adhibita contentione modo perfectiſſimo & ob finem prętantiſſimum, ex puriſſimo & ardentiſſimo aduerſus Deum amore profectas,

cuiuſmodi vti nos rectiſſimam habere nitamur intentionem non ſolum in vitę ſtatu ſed rebus omnibus præclare commonefacit. Ad hęc examine conſcientię duplici tũ generali, tum particulari plurimũ eſt vſus; & examine quidem vitia ſecludebat atq; omnes næuos abſtergebat; Electionis deliberatione virtutes acquirebat eaſque ad ſummum perducebat apicem perfectionis. Quidquid præuideret in vita quotidiana, hoc fere trutina vel examinis, vel rectæ electionis expendebat; ſibi ſemper præſentiſſimus, & quid Deus intus loqueretur attentiſſimus. Numquã ſuas lõgi⁹ cogitationes euagari ſinebat. In ſingulas horas receptui canens, conſcientiæ ſinus excutiens, in excubiis ſemper agebat. Tres inſuper orandi modos aliaque eidem libello adiecit ſpiritalia exercitia, quæ ſingula propria tractatione digere-

Reg. 17. Sum.

Digitized by Google

gererem, niſi hæc eadem noſtrorũ conſignata litteris, in omnium manibus verſarentur.

CAPVT XXVIII.

De interceſſione Beatiſſimæ Dei Genitricis, & orationis dono per eam impetrando.

QVAM rationem colloquiorũ in exercitiis B. P. Ignatius vſurpauit, vt vnum ac primo loco fiat ad Beatiſſimam Virginem Aduocatam noſtrã: Alterũ ad Chriſtũ Dominũ qua homo eſt, Saluator, hominumque mediator, tertium ad æternum Patrem, totamq; auguſtiſſimam Trinitatẽ omnis boni fontem, atque originem, eam quoque rationem ſecutus eſt non vno loco S. Bernardus, & ratio ipſa ex perſonarum quæ appellantur conditione petita confirmat. Nam ad ſupremam illam diuini Numinis *Serm. de Nati.*

maieſtatem conſentaneum eſt ordine quodam ac certis gradibus accedamus, nec ſtatim ad Deum Patrem orando proſiliamus. Sed vtamur eo, quem dedit nobis filio ſuo Mediatore & Aduocato , cuius meritis ſpes omnis noſtra nititur, cuius nomine promiſſiſque firmata noſtra precatio vim obtinet impetrandi. Ad eum vero conciliandum ac demerendum nullius ęque ac matris amantiſſimæ, cui defert omnia, valere poteſt oratio. At quemadmodum filius pro ſua reuerentia ſemper exauditur à Patre proque eo quod obtulit noſtræ redẽptionis lytro, ad extremũ pretiũ, rigoremque iuſtitiæ, nihil non illi defertur à patre quod ad hominũ ſalutem attinet, qui ſunt omnes ei in manus traditi curæque eius ac prouidentiæ cõmiſſi: Ad eum modum & Clementiſſima Mater pro ea quâ aduerſus eam filius obſeruan-

uantia ducitur ac charitate, ab eo ſemper exaudietur, quæque ſuſceperit ſalutis noſtrę negotia fœliciter exequetur. Non poteſt Saluator filius aut matrem repellere ſuppliciter obſecrantem, aut Patri ipſe ſupplicans ſuſtinere repulſam. Et benigne Matrem audit, & auditur à patre: ipſa vero Mater indulgẽtiſſima cõpaſſionis ac miſericordiæ plena, non difficiles prębebit aditus ærumnoſis mortalibus ad ſuam opem confugientibus. Niſi tamen ad eam allegandi ſunt interceſſores, vti quandoque iure & merito fieri ſolet, cum ſit ſanctorum omniũ ac cælitum Regina ac Domina; quam omnes, vt par eſt, obſeruant ac colunt. Inter ipſos, vti paris eiuſdemque ordinis ac gradus, vnus ad alium ſequeſter & interceſſor adhiberi non ſolet: verum ad virginem Matrem aditum nobis quandoque paramus aliorũ

interuentione ſanctorum, quibus ipſam recitamus Angelicam ſalutationem , vt eam nomine noſtro Reginæ cœli offerant , eiuſque nos beneuolentię commendēt impenſius. Si qui igitur ad benigniſſimam matrem allegandi ſunt interceſſores, quos potius adhibeamus quam primos Societatis noſtrę patres B. Ignatium, Xauerium, alioſque, qui ſunt & in nos propēſiſſima voluntate, & apud B. Virginem in ſumma gratia, cuius cultui dum viuerent erant addictiſſimi, quemque nobis poſteris tantopere commendarunt.

Multa de Virginis Matris efficaci apud Deum filium interceſſione diſputat vnus è Theologis noſtris Franciſcus Suarez, ac contendit non modo ſingulos, verum etiā vniuerſos cœlites ſimul iunctos in eandem conſpirantes precationē, Virginis interceſſioni pares non eſ-

Suarez in 3. p. tom. 2. d. 23 & 2.

ſe; lon-

ſe; longe illam ſuæ interceſſionis vi ac pondere curiam omnem cæleſtem exſuperare. Fingamus inquit, cogitatione beatam Virginem aliquid poſtulare, totamque illi reſiſtere curiam cæleſtẽ (vt apud Danielem Angelus vnus alteri legitur obſtitiſſe, Angelus Perſarum Angelo cuiſ gẽtis Hebreę cura erat cõmiſſa) potentior eſſet maioriſque efficaciæ apud Deũ Virginis Matris quam reliquorum omnium ſanctorum oratio, quod dignitati Matris maxime eſt conſentaneum & perfectiſſimæ eius gratiæ, ac charitati quodammodo debitũ, ob quam cauſam Eccleſia frequentius & eminentiori ratione Virginem orat, quam ceteros ſanctos. Hæc Suarez. Sane exuberans hæc tum gratia tum dignitas materna maximam illi apud filium conciliat authoritatem. Quod ſi quod homini ius eſt in hoc ſalutis precationiſq;

negotio, ſi quam vim habet noſtra, ſanctorum ac beatæ quoque Matris interceſſio, id ex Chriſti Domini oritur merito & pretio noſtrę redemptionis, atque ex profuſo eius diuino cruore promanat. Nemo autem in eos immenſos & inexhauſtos Chriſti meritorum theſauros plus ſibi iuris vendicat quã ipſa eius amantiſſima Mater, quæ de ſuo ſuppeditauit diuinum illum cruorem, cuius in aluo puriſſima corpus iſtud Incarnati Verbi ex eius puriſſimis cruoribus illapſu S. Spiritus efformatum eſt. Quantũ igitur in hac ſanctiſſimæ Dei Matris interceſſione pondus exiſtat, quantum à nobis in ea ſpei fiduciæque reponẽdum ſit non eſt opinor pluribus demonſtrandum.

Quod ſi pro ſua clementia B. Mater nobis vltro deferat ſuam interceſſionem, poteſtatemque faciat opinione poſtulandi quod in rem

rem noſtræ ſalutis ac perfectionis maxime viſum fuerit; interpoſituram ſe apud filium omnem ſuam gratiam & authoritatem; quid efflagitemus potius quam hanc ipſam orandi facultatem, quam verſandi cum ipſamet Domina noſtra, cum Saluatore filio, cũ cœlitibus, cum Deo ſcientiam? quam familiarem illam neceſſitudinẽ ac coniunctionem cum Deo, cum in meditatione, tum in cæteris pietatis exercitijs à B. Patre noſtro Ignatio tantopere nobis commendatam? myſticam inquam illam inſtituto noſtro congruam contemplatiuæ & affectuoſæ Theologiæ formam, qua Deus creator in ſuis operibus agnoſcitur, quæque in proximorũ ſalute procuranda cum iugi ac perpetua Dei præſentis inſpectione coniungitur. Quid omnium poſtulemus potius à Deipara ac Saluatore, & per eos à cęleſti patre, quã

vti ſacroſancta Redemptionis noſtrę myſteria quæ ſunt illis communia, memori ſemper ac grato circumferamus animo, intimiſque illa nobis hæreant præcordiis, neq; de memoria diſcedant vnquam. In hiſce myſteriis vehementius contemplandis omnem ſuam diſcurrendi celeritatem, ac diiudicandi maturitatem explicet intellectus, omniaque hic cauſarum expendat momenta, perueſtiget effectorum conſequutionem, aliaſque adiunctas conditiones, ac quantum Saluatori debeat, quantum Virgini Matri ſit obſtrictus, ſecum exquirat. His voluntas ſeſe piis excitet inflammetque affectibus, amore ardeat, ac Deo obſequendi, diuinarumque Saluatoris & Beatæ Matris virtutum imitādi exæſtuet deſiderio. Nihil hac commentandi de ſacris myſterijs vitę Chriſti Domini ac B. Matris diſciplina poteſt

teſt eſſe præſtantius; nihil ad omnes noſtræ ſalutis rationes oportunius ſiue mala ſint vitanda, ſiue bona proſequenda, ſiue extirpanda vitia, ſiue virtutes arceſſendæ, ſiue purgandus animus, ſiue illuſtrandus & vniendus Deo: præſertim adiũctis iis adminiculis quæ à B. Patre ſuggeruntur, examinis duplicis, regularum rectæ electionis, trium orandi modorum, colloquiorum denique & primariorũ affectuum qui ſemel in meditatione concitati haud poſtea difficulter exſuſcitantur. Quæ pridem etiam in Societatis vſum inducta ſunt breuia illa dicta, quorũ alterum eſt B. Matris *Deo gratias*, alterum B. Ignatii *Ad maiorem Dei gloriam*, Itē *Ad vitam æternam*, in omni congreſſu ac ſermone adeoque actione non aſſuetudine quadam incogitanter, ſed cum intimo quodam animi ſenſu ac guſtu ſunt vſurpāda.

Hac duplici mentis exercitatione prolixiore, certis horis inſtituta & breuiore ſæpius ad Deum diuamque Matrem aſpiratione repetita, cõtinetur omnis inſtituto noſtro congruens cum Deo familiaritas, quam Societatis animam, ac vitam recte dixeris. Generale ad omnes virtutes parandas, tuendaſque inſtrumentum inſtrumentorũ, alueus cæleſtis, quo in animos noſtros omnia gratiæ dona ac munera deriuentur, lux, intellectus, ardor voluntatis, in præclaris rebus ad Dei gloriam excogitandis prudentia, in aggrediendis fortitudo, in exequendis conſtantia, ac perſeuerantia.

Notiſſimum eſt quod coronidis loco producturus ſum exemplum. Henricus Delſom Audomari temporalis Adiutor cum primũ Societatem iniit adeo rudis erat & hebes, nullaque memoria, vt magnope-

nopere lugeret ſe nihil rerum ſpiritualium ediſcere, ac memoriâ complecti poſſe. Quare vehementer afflictus die quadam coram imagine ſacratiſſimæ Virginis proſtratus, corpus, animum, corporis ſenſus; animi vires ac facultates ſacratiſſimę Virgini ad perpetuum eius offert obſequium. Ex eo tempore ita rerũ ſpiritualium euaſit intelligens; vt cõciones integras memoria retinere, eaſdemque multis poſt annis reddere ac recẽſere poſſet; tantoq; animi ſenſu de B. Matre, diuiniſque rebus loquebatur, vt graues ex ordine noſtro Theologi dicerent eum velut è puteo profundiſſimo iugiter haurire ſenſus rerum cæleſtium admirandos: quare velut è fonte ex eius ore ſuauiſſimè ſcaturiebant ac ſponte proſiliebant ad ſanctiſſimam Matrem, aut auguſtiſſimum Sacramentum, in quod ſimilis eum ęſtus pietą-

pietatis abripiebat, aſpirationes; cuiuſmodi Theologi nec meditando, nec pios autores voluendo fuerant aſſecuti. Ad extremum vitæ, inſtar S. Tobiæ, cœcitate purgatus ac probatus ſumma tranquillitate obiit pridie ſanctorum omniũ anno 1615.

CAPVT XXIX.

De tribus virtutibus ob quas homini Societatis ſit maxime opus præſidio Beatiſſimę Virginis, Humilitate, Caſtitate, & ardenti Charitate.

AB ea, quam attigi proxime, orandi virtute, tres aliæ ſpeciatim homini Societatis, qui ſuã proximique ſalutem curet, nec in vmbra & otio, ſed in ſole ac puluere verſetur, cumprimis neceſſariæ ſunt; Humilitas, Caſtitas, ardens Charitas, eæque Beatiſſimę Matris ope ac beneficentia comparandæ. Hunc

Hunc triplicem virtutum funiculum, vt appellat, Bernardus agnoſcit in Dei Matre propinquam Eliſabeth viſitante; feruebat, inquit, in quęrenda gratia charitas, ſplendebat in carne virginitas, humilitas in obſequio eminebat. Et eundem intueri licet in eadem ſanctiſſima Virgine per Archangelũ ſalutata. Nam cum ab eo appellata magnifice, conturbata eſt, prodidit ſeſe humilitas: cum ſollicita de modo diuini conceptus inquiſiuit, virginitas; cum prębuit aſſenſum, & ad cuncta ſe promptam obtulit ancillam, ardentiſſima charitas. Idem elucet in cæteris myſteriis; vt non minus exemplo nobis præluceat, quam præſidio ſuccurrat, ab eaque virtutes eas iure quodam afflagitemus, quæ fuerunt illi gratiſſimæ, & per omnem vitam vſitatiſſimæ. Cum animo conſtemus ac corpore, propria virtus animi eſt, ne ef-

fera-

feratur, atque vt intra fines officij cohibeatur, humilitas; corporis ne qua fædetur macula, ſitque & ipſum Dei templum, puraque victima Caſtitas; cumq; ad Dei gloriam proximorumque bonum vitę noſtræ ſtudia atque inſtituta referantur, opus habemus inſigni quodam charitatis in Deum proximoſque zelo, nec ſine hoc ardore animi magnopere quidquam, aut in amplificanda Dei gloria, aut in noſtra proximique ſalute curanda, promouebimus. Humilitas fundamentum eſt virtutum omnium, quę locum eis in anima ſternit, aditumque patefacit; tum earum eſt nutrix & cuſtos fidiſſima, ſine qua mox illę in vaniſſimas inanis gloriæ diſperguntur auras: nec alia virtus aut plus habet virium ad Deũ nobis conciliandum eiuſque gratiæ præſidia vberiore copia promerenda, aut eadem illa ſemel parta

gratiæ

gratię, dona tuetur ſecurius, auget impenſius, in opuſque ſalutis animarum certiore fructu deriuat. In quo quidem opere ſalutis animarũ quam neceſſaria ſit humilitas, nemo non videt; tum vt Deo præcipuo ſalutis auctori & effectori tãquam apta vtiliaque inſtrumenta ſubnectamur, ad omnẽq; eius impulſum ac motum ſine renitentia, qua par eſt ſubmiſſione ac promptitudine feramur; tum ne quam ex eo pręclaro opere laudem nobis ſtultiſſime decerpamus, noſtręque vel adſcribamus induſtriæ, vel diligentiæ, ſed quicquid id eſt quod à nobis geritur, primæ bonorũ omnium origini Deo Opt. Max. tranſcribamus; tum ne proximis egris quorum vlcera morboſque tractamus, ipſi nos quaſi valentes anteponamus, ſenſimque in ſtudio ac curſu perfectionis languidiores euadamus. Denique ne Deo minus vta-

vtamur propitio, qui ſuperbis reſiſtit, ac denegata gratia, quam offert humilibus, noſtrę proximorumque officiamus ſaluti. Neque vero deſunt in ordine noſtro docēdi, concionandi, conſulendi, regendique alios præclaræ & ad ſpeciem magnificæ functiones, quibus & animi dotes & ſcientiæ literæque reconditiores efferantur in vulgus, atque oſtententur, non ſine periculo ſubrepentis arrogantię, iactantiæqne, cui niſi precaueat ac medeatur Humilitas, verēdum ne quod maxime ſalutare eſſe debuerat Inſtitutum, id in certam perniciem ruinamque cedat. Ad eā virtutem humilitatis aſſequendam quantum ponderis habeat ſacratiſſimæ Virginis præſidium, & facto & ſcripto docuit B. Aloyſius Gonzaga, cum inter cetera monita, quæ ſibi priuatim ſcripto ſepoſuerat eius aſſequendæ virtutis, id ſpeciatim

tim haberet exaratum; ad Deiparã præcipue confugiendum, quæ foret eius virtutis præ ceteris amantiſſima. B. Moleſildis ſibi diuinitus patefactum aiebat B. Virginem omnium virtutum primum humilitati, à prima infantia, operam dediſſe; ex quo conficitur vt quos eiuſdem humilitatis ſtudio videt incenſos, eos pręcipua quadam cura promouere nitatur. Ex humilitate proximo gradu gignitur Obedientia, quę & ipſa Virgini Matri eſt acceptiſſima, & in Societate ſupra quam opinemur, neceſſaria; quo vero quis in ſui dimiſſione & abnegatione maiores progreſſus fecerit, eo facilior, expeditior, atq; iucundior. Laudatus in vita Patris Baltazaris Aluarez, ſanctus ille Coadiutor Ioannes Ximenes Collegij Cæſarauguſtani, narrabat ex quo Deipara hoc illi reſponſum dederat vti ſecurum obedientiæ

cæcæ

cæcæ tramitem inſiſteret, numquam in obſequendi ſtudio paſſum vllam difficultatem, ac nihil omnino eſſe quod præterea expeteret. Caſtitatis Angelicæ puritatem à nobis exigi, & corporis & mentis prçſtanda munditie nemo mirabitur, qui tot hominum noſtrorum toto orbe miſſiones & peregrinationes animarũ cauſa ſuſceptas, tam frequentem ac lectam iuuentutem inſtitutioni noſtrç commiſſam, tot virgines, tot generis omnis ac ſexus animas in exomologeſi peccatorum expiandas, tot alias, cum proximos repurgamus, contrahendarum ſordium occaſiones attentius inſpexerit. At vero cuius eam præſidio patrocinioque potius aſſequemur quam intemeratæ Virginis Matris, quæ prima virginitatis erexit vexillum, quæ etiam iis quos viſeret integritatis inſigne conferret, quç Virgo Virginum,

Ambro. de Inſti. virg. 27.

ginum, Mater, Regina, Princeps, primiceria, primipila, anteſignana, & vexillifera virginitatis, ſpeculum, Corona, Flos, Decus, Sigillum, Faſtigium, Caput, Exemplar, Theſaurus integritatis à ſanctis Patribus nuncupatur: & quaſi nulla ſatis voce laudari queat ab Eccleſia, auctore Auguſtino ſancta & immaculata Virginitas appellatur. Itaque & B. Ignatio parenti noſtro præſtans hoc caſtitatis donum contulit, hodieque cõpluribus confert, vt in ipſa prope fornace Babylonica non amburantur, nec eis noceat ſiquid mortiferum vel in audiendis confeſſionibus, vel in aliis cum proximo congreſſibus hauſerint, & inter impuras animas puri viuant. Vt ſolis radii nullo inquinantur luto ſic nec animus diuino ac cæleſti lumine perluſtratus. Recte Chryſoſtomus; Quicunque eſtis virgines ad

Matrem

Matrē Domini confugite; illa enim pulcherrimā, pretioſiſſimam, & incorruptibilem poſſeſſionem patrocinio ſuo vobis conſeruabit. B. Bonauentura aduerſus fædas ſuggeſtiones Angelicam opponi ſalutationem conſulit. Magiſter Auila certo ait experimento compertū, facile ab ijs tentationes illas eximi, qui Beatiſſimæ Virgini per immaculatam Conceptionem ſuam ſupplicarint. Mihi ſane aduerſus eas peſtes vel ſola Virginis integerrimę recordatio præſens eſſe videtur antidotum.

Poſtremo quod ſpectat ad ardentem Dei proximique charitatem, zelum diuinæ gloriæ animarumque ſalutis, conſtat ſine quodam ardore animi nihil præclare geri poſſe. Neque vero paucæ ſunt aut leues quæ ſeſe in amplificanda Dei gloria captandiſque animarū lucris offerunt difficultates, magna

vel

vel exſorbēdæ patientia, vel etiam vltro charitate accipiendæ. Labori parcendum non eſt, orandum, vigilandum, ieiunandū, ceteraque afflictatione corpus macerandū, quo diuini numinis iram placemus, gratiamque nobis ac proximis conciliemus. Ægris illis adhibenda generis omnis medicamenta, nunc ferro & igne cauterioque vtēdum, nunc blandiore verborum emplaſtro maturandum vlcus, puſque educendum. Magna plane opus cum prudentia & circumſpectione, tum vero etiam patientia & charitate. Ea vero diuina charitas cum è cælo promanet, non gignetur è terra corruptæ noſtræ naturę, ſed à Dei Matre, quæ filii theſauris præſidet poſtulanda, vt hoc igne Spiritus ſancti, quem Saluator filius in terram miſit, & voluit vehementer accendi penitus corripiamur. Ab ea poſtulandus

hic

hic animarum & Dei gloriæ zelus, quo & ipſa dum viueret pręcipue flagrabat, & quo primos illos ſocietatis Patres ſic animauit, vt vbicumque terrarum pedem poſuiſſent, maximos excitarent motus animorum, à quorum nos præſtanti virtute degenerare probroſum ſit. Quis ille fuit zelus ac feruor B. Ignatii dum Pariſiis vt amicum à turpi mulierculæ cõſuetudine multis ante fruſtra tentatis viis abduceret, in ſtagnũ pręgelidum hieme ſumma, collo tenꝰ ſeſe immerſit, propter iter hominis impudici, quem ad flagitium properantem lamentabili voce deterruit, tamdiu ſe futurum eo loco ad diuini numinis irã auertendam, dum ille in ſuo cæno volutaretur. Id eum zelus pro aliena pudicitia cõpulit aggredi, quod pro ſua ſanctiſſimos viros fuiſſe auſos iure miramur. Quis Xauerij cęterorumque in India Patrum in

promul-

promulgando barbaris gentibus Euangelio, quis in Europa multorum hodieque, quibuſcum verſamur, ad animas Chriſto lucrifaciēdas? Sed ne noſtras laudes venditare videamur, quem laborem denique interdiu noctuque non exhauriunt Milites, Agricolę, Vinitores, Venatores, Piſcatores, Paſtores, ceterique opifices, quibus eum laborem mitigat ſuauemque & optabilem reddit ſuæ profeſſionis amor, quodque ex ea ſperant lucrum atque compendium. Quāto æquius eſt nos in hac ſpiritali militia Saluatoris animarum captura & cultura, in hac verbi Dei ſemente facienda ad beatæ meſſem æternitatis, nullum recuſare laborem, vltroque omnem ſuſcipere cruciatum, ne Ieſu capite ac Duce, eiuſque religioſa Societate abiudicemur indigni.

CAPVT XXX.

De Beatiſſimæ Virginis ope in iuuandis proximis & Societatis miniſterijs.

IACOBVS Eguia, quem Faber nunquam conſuerat niſi Iacobum ſanctum appellare, vir integerrimæ vitæ, ardentiſſimæque in Deum & proximos charitatis; vt erat ſui contemptor, Ignatiique & Societatis admirator, aiebat, quemadmodum ſi fractus aut detritus nummus vnicus ac ſeorſim ſpectetur, repudiari ſolet; at ſi in magna ſumma, numeroque proborũ offeratur, non reiicitur, ſed cum aliis probatis recipitur, ita ſe ſperare quamuis per ſe ipſe reiiciendus à Deo foret, tamen quod optimorum ſociorũ numero eſſet admixtus, eorum ſe intuitu ac merito recipiendum. Hanc eandem ſpem quiſquis mecum ſuæ eſt imbecil-

litatis

litatis conſcius ſibi reſtare dixerit, etſi ad præſtantes illos Heroas ac Duces Societatis Ieſu, qui primi continenter in acie dimicant, & opima Chriſto Saluatori ſpolia cõquirunt animarum, adſpirare non liceat; nec in ſecundo quidem ordine fortiſſimorum militum detur conſiſtere, qui nuſquam hoſti cedunt, ſed partam tuentur prædam; tamen ſi vel inter extremos lixas ac calones annumeremur, partæ victoriæ nõ penitus expertes erimus; ac perſeuerãtes modo in hac militante Societate, ad regnantem in cælis aliquando triumphantemq;, ſi non merito noſtro, at ceterorũ, quibus immixti vixerimus, ope ac beneficio, pertingemus. *Particeps* Pſal. 118
ego ſum, aiebat Dauid, *omnium timẽtium te, & cuſtodientium mandata tua.* Quę communio meritorum maxime valere debet in iis, quos eadem vitæ conſociant inſtituta, eadem il-

ligant vota, eadem diſciplinæ regula, ac totius vitæ ratio coniungit arctiſſime. Quemadmodum in benemorata domo quicquid frater acquirit, non ſibi ſoli, ſed cæteris quoque fratribus acquirit; aut in mercatura, ſi qui ſocietatem inierunt, eorum lucrum in commune cedit, ita multo magis inter eos fratres ac ſocios, qui arctiſſimo inter ſe vitæ religioſæ nexu colligantur. Quare ſibi quiſque gratulari debet, gaudere, ac gratias agere diuinæ clementiæ, quoties ſe eius Societatis partem ac membrum eſſe cogitat, quæ in ſua proximorumq; ſalute procuranda, vel Ethnicis ad Chriſti fidem ac religionem perducendis, vel hæreticis coarguendis ac reuincendis, vel flagitioſis Catholicis ad bonam frugem mẽtemque reuocandis, aut probis denique ad ampliorem prouehendis perfectionem, omni ſtudio elabo-
ret:

ret. Lex illa Dauidis ſcripturæ voce 1. Reg. 30
laudatur, quæ in poſterum tempus 23.
vſu conſuetudineque recepta fuit:
Æqua pars erit deſcēdentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter diuident. Quæ ſi valuit in iis qui feſſi ad ſarcinas conſederant, quanto magis in iis obtinebit quibus in acie conſiſtendi ac depugnandi non defuit animus, ſed in alia eos ſtatione tenuit imperium Ducis. Verum vt hic animus fortiter agendi ac dimicandi numquam deſit, ſed in dies potius augeatur, elaborandum eſt, ſi cominus cum fidei ac pietatis hoſtibus manus non conſerimus, ſi nondum educimur in aciem, aut ex acie retracti ſecedere iubemur in caſtra penitiora, pugnādum certe eſt eminus miſſilibus telis, ardentibus dico ad Deum votis, ſacrificiis voluntariis, pęnis, ſuſpiriis, ac lachrymis quas Nazianz. peccati ait eſſe diluuiū, & mūdi ex-

Or. in Iulianū.

piamentũ; omni ratione ac via collaborandum eſt commilitonibus noſtris, inclamata Cæli Regina Dei Matre, cuius auſpiciis præſidiiſque decertant. Quod habebat in ore frequenter ſanctus ille Iacobus Eguia; Qui ſe exiſtimat aliquid valere, valet parum, qui vero ſe putat multum valere, is nihil valet; id in hoc certe procurationis animarũ
1. Cor. 3. negotio certiſſimum eſt. In quo, *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Non eſt id opus animarum ſalutis, humanæ vel induſtrię, vel diligentiæ, vel operæ ac contentionis, ſed Dei gratiæ ac miſericordiæ, quam benigniſſima Mater à Saluatore filio ſeruulis, quibus vti dignatur adminiſtris, vberem implorata procurabit: nam quantopere pœnitẽtia illa ac meliore vita mortalium delectetur, atque ei efficiendæ collaboret, vnius è noſtris haud ad-

mo-

Digitized by Google

modum vetuſta conuerſione docemur. Benedictus de Goez (qui in perueſtigando regno Catai, quod ipſum eſſe Sinarum regnum patuit in ipſo eius aditu mortē obiit immenſis laboribus exhauſtis) cum ſtipendia faceret in claſſe Luſitanica, quæ tum verſabatur in ora Tranuacora, vitamque licentius ageret, ludis & aliis militaribus vitiis perdite addictus, euenit vt tēplum cuiuſdam pagi ſeſquimiliari ab oppido Colecht cum alio commilitone ingrederetur; hic conſpectu tabulæ altaris, quæ depictam B. Virginis filium geſtantis effigiō continebat, ſtimulis agitatus conſcientiæ Goez, procidit in genua, ac profuſis vbertim lachrymis obnixe à Deipara contendit vt à filio ſibi veniam peccatorum ac remiſſionem impetret. Res ecce mira; Infantulus Ieſus in brachiis matris efformatus vbertim lacrymas la-

ctei coloris effudit, tam copioſas vt vndique in ſuppoſitum altare diſfluerent: vterque miles rei nouitate attonitus aliquot commilitones in templum aduocat; explorant attentius oſtentum, ac comperiũt ex oculis infantis Ieſu liquorem eũ emanare, etſi ſumma per eos dies ſiccitas, ęſtaſque pręferuida vigeret: intingunt ſtrophiolum in pignus veritatis, factoque dein cõcurſu, bombardarum exploſione claſſiarij miraculum celebrarunt. Id contigit anno 1583, factaque diligenti inquiſitione veriſſimum eſſe compererunt Patres noſtri anno 1609. cuius etiam imago veſtigia nũc retinet. Goez ea viſione compunctus confeſſionem de tota vita inſtituit, eiuſque feſto, anno inſequenti in ſocietatem admiſſus eſt. Hoc oſtento declarauit Clementiſſima Mater ſibi maximè cordi eſſe peccatorum conuerſionẽ quas

ob-

obiectis filij ſui lachrymis excitare contendit, neque nũc primum pro iis ſeſe filio ſupplicare. Quam vero noſtrorum hominum labores in animarum ſalute procuranda probet, vtque eis adlaboret, aliis docemur exemplis. Nemo neſcit quas ad Dei gloriam plurimorumque ſalutem res præclare geſſerit tum Armuſiæ; tum Goæ, Gaſpar Barzæus Belga, vir Apoſtolicus, Xauerio haud indignus diſcipulus. Huic cum imperaſſet Xauerius vt in æde noſtra Natali die B. Virginis concionem haberet, ingenſque hominum multitudo confluxiſſet, eorum expectationi non ſatisfecit, quod exili ac tenui vſus eſſet voce, vix vt à proximis audiretur; verum mandauit ei Xauerius vti quotidiana per noctem exercitatione vocẽ augeret, ac corroboraret, quod obſequendi ſtudio præſtitit, & paucorum dierum interuallo firmam

adeo nactus eſt vocē, vt domeſtici nihil vltra deſiderarent in concionibus: ex quibus tulit eum fructū, quem India magno ſuo bono ſenſit. Exiſtimarim id ego B. Virginis cuius feſto conciones eas auſpicatus, & quam aſſiduis precibus implorabat, beneficio adſcribendum. Armuſiæ quouis Sabbatho hanc miſericordiæ Matrem Reginā cæli ſolenni ritu ſalutationis vſitata formula ſaluere iubebat, ac tametſi Sarraceni vehementer ab eo tāquam Mago & incantatore ſuorū Caſicorū fraudibus abhorrerent, non deerant tamen plurimi qui Mahomete deſerto ad Chriſtana ſacra tranſirent, idque facere ſe monitos à Deipara, quæ ſeſe eis ſpectandam præbuerat, ſancte aſſeuerabant. Cum arx Monaianū vi & armis diu fruſtra oppugnaretur, effecit Gaſpar, indicta ſupplicatione ad Dei Matris ędiculā paſſibus ab Ar-

ab Armuſia mille quingẽtis vt vl-
ab hoſtibus dederetur. Idipſum
ſtudium hominum noſtrorum in
iuuandis proximis quam ſibi cordi
eſſet declarauit B. Virgo egregia ad
Societatẽ vocatione Ioannis Nun-
nij, non eius, opinor, de quo alibi
dictum eſt, Bareti Luſitani, qui fuit
Æthiopię Patriarcha, ſed alterius
Caſtellani ex nobili Guſmanorum
familia, de quo memini me ex Pa-
tre Georgio Colibrant, iuuenem
audiuiſſe. Hic cum anxius de vitæ
genere annum & amplius delibe-
raſſet, & à B. Virgine ſummis pre-
cibus contendiſſet, certam ſibi à
Deo viam ac rationem viuẽdi de-
mõſtrari, quam ſecure tenere ac
ſequi poſſet, apparuit dormienti
Clementiſſima Dei Mater comi-
tata duobus Societatis Sacerdoti-
bus Petro Fabro & Frãciſco Stra-
da concionibus in Hiſpania notiſ-
ſimo; tum ſic eum compellare vi-

debatur; vis ſeruire filio meo vſque ad defatigationem? cui Nunnius omnino Domina, ſequere ergo ait illa hos viros, demonſtrans comites ſuos, & illico diſparuit. Nunnius partim lætus cęleſti viſo, partim anxius, quod eos viros ſibi ignotos, quos ex habitu ſuſpicabatur eſſe Societatis (quamquam ea tum erat ignota & obſcura) quo loco reperiret haud ſatis coniicere poterat; rem omnem Beatiſſimæ Matri commendat impenſius. Euenit vt iter facienti Patres illi duo Societatis occurrerent, cumque eos amice ſalutaſſet & de vitę certo genere complectendo ſollicitũ ſe demonſtraſſet, vltro Faber ſubiicit, viſne ſeruire Chriſto vſque ad defatigationem? Qua interrogatione perculſo venit in mentem verborum B. Virginis, quæ eiſdem ipſis vocibus vſa fuerat, viſne ſeruire filio meo vſque ad defatigationem;

nem;

nem;ac velut certam ſuæ vocationis teſſeram reputãs,oculos in vultum vtriuſque defigit,eoſque agnoſcens procidit ad pedes,obteſtãs vt ſe ad Societatem admitterent; narrataque totius hiſtoriæ ac viſionis ſerie, admiſſus eſt ſumma ſua, & Patrum conſolatione. Hoc ſibi dictũ quiſque reputet à B. Matre, nec alio ſe fine intelligat in Societatem admiſſum, quam vt Chriſto Domino ſeruiat vſque ad defatigationem, vſque ad mortem.

CAPVT XXXI.

De deiparæ Virginis ope in noſtrorum hominum morte pie & ſancte obeũda.

BENEFICIORVM omnium ſummum extremumque vitæ huius mortalis, ſed primum alterius immortalis exiſtimari debet mors pia ac ſancta, cui perſeuerantiæ donum annectitur; quæ ad beatã no-

bis

bis æternitatem aditum patefacit, quę nos fini noſtro, ob quē conditi ſumus, ſummoque bono, Deo bonorum omnium fonti, coniungit; pro qua clementiſſimę Dominę ac Matri quotidie ſupplicamus; Adeſſe velit clientibus ſuis in hora mortis, eamque tutam, expeditam, ac fortunatam reddere. Homini quidem religioſo mors formidanda non eſt, neque refugienda, quod à ſæculi huius vſu ac conſuetudine ſeuocet, omniumque charorum ac propinquorum ſocietatē adimat; quod vitæ huius bonis ac commodis, extincto corporis ſenſu, voluptatibus, honoribus, diuitijs, priuet; nam eam mortem obiiſſe debuit ab ipſo tirocinio, qui nuntium ſeculo remiſit, ac ſeſe Deo mactauit in holocauſtum: cuius mortis imaginem quotidie induit, dum ſe ſomno ac quieti componit. Illa credo metuēdæ mortis iuſtior omnino ſit

cau-

cauſa, quod à morte conſequatur iudicium, quod mors vti ſeuerus quidã apparitor, lictorque diuinæ Iuſtitiæ, ad eius exactiſſimũ tribunal reos ſiſtat, atq; perducat, vbi totius anteactæ vitæ rationes, ne momento quidẽ præterito, repoſcantur, omnia per omnẽ vitã facta, dicta, cogitata, prætermiſſa, ad ſummũ illum examinis diuini rigorem excutiantur, & ſecundũ ea ſempiternæ vitæ, vel mortis, nullo vnquã æuo mutanda ſententia proferatur. Verum huic quoque periculo prouisum eſſe oportuit, cõpoſitis ad inſtituti religioſi normam vitę rationibus, quæ vti cum extremo illo tempore non eſſent implexę ac perturbatę, ſed planæ & expeditę, religioſa vita ſuſcepta eſt. Hoc fine ſęculi curas abdicauimus, vt huic vni curarũ maximę, tãto ante impenſius vacaremus; ideo nos clauſtri carcere dãnauimus, pœnitentiæ-

tentiæque rigorem ſubiuimus, vt tum diuinæ iuſtitiæ ſeueritatem effugeremus. Immo vero, qui Chriſti cauſa omnia ſua ſeque ipsũ reliquit, ac religioſæ vitę tramitem ad exitum vſque conſtanter obtinuit, non ſecuritatem tantum in eo ſupremo iudicio ſed thronum inter eius ſupremi Iudicis aſſeſſores polliceri ſibi poteſt ac debet, ex Chriſti Domini certiſſimo promiſſo. *Amen dico vobis quod vos qui ſecuti*
Mat. 19. *eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Verum enimuero tanti eſt illa ſempiterna Beatorum fælicitas, atque extrema miſeria damnatorum, quarum altera mortẽ cõſequatur, neceſſe eſt, vt quicũque pondus hoc æternitatis attẽtiore paulo trutina mẽtis expenderit, huic non poſſit mors non eſſe formidabilis atq; horribilis. Tũ

vero

vero ille ipſe diſceſſus à vita, certo diſcrimine non caret ob infeſtas tum maxime hoſtium noſtrorum tentationes, dum omnes admouēt machinas, omnes artes ac dolos, hinc deſperationis, inde præſumptionis, ceterorumque vitiorum. Ergo tum aduerſus eos capitales hoſtes pręcipue inuocanda eſt ſanctiſſima Virgo Mater, cuius præſentiæ ſplendorem non ferent tartareæ phalanges; Adeſſe velit in extremo diſcrimine, periclitātibus in hoc æternitatis agone, diſſipet eas cateruas malignorum ſpirituum; contra Angelorum nos tutela cuſtodiaque communiat; infuſa cæleſti luce ſolatioque ad beatæ ſpem æternitatis erigat; fide, ſpe, charitate erga Chriſtum filium corroboret; migraturiſque in alteram vitā viæ dux ac comes exiſtat. O fęlicē eorum ſortem, quibus pro Chriſti fidę ac religione glorioſam occū-

bere

Digitized by Google

bere mortem contigit; fortunati qui ſicut decet Imperatores, militeſq; generoſos ex hac Chriſti cohorte, ac Societate, ſtantes pugnanteſque fortiter oppetiere necẽ, ſeu à barbaris in India Iaponiaque, ſeu à perduellibus hæreticis in Europa crudeliter illatam, at patientiſſime & in Deum ardentiſſima charitate toleratam. Ad hos accedunt proximè, qui graſſante peſtilenti lue, ſeſe ipſos proximis iuuandis ardenti charitate deuouerunt, vitæ ſuæ prodigi, dum eam Chriſti gloriæ, animarum lucris atque obſequiis impendant. Quibus omnibus filij ſui fortiſſimis athletis ſacratiſſimam Virginem patrocinium præſidiumque ſuum detuliſſe, & illud inuictum animi robur à filio Saluatore contuliſſe certiſſimum habeo; pro ea qua ſemper illam in omni vita proſecuti ſunt religione, ac

pieta-

pietate: At neque eam ceteris, qui in ſua ſtatione conſtantes mitius obiere lethi genus, quique lectulis affixi eius ac filii nomen inuocantes, in fratrum obiere corona, pro ſua vnquam materna benignitate defuiſſe multorum exempla confirmant, quæ tum hiſtoria Societatis, tum annales noſtri ſuppeditant. Et quî poſſit illa deeſſe tot ſuorum precibus inuocata, tot ſuſpiriis gemitibuſque, tum ipſius moribundi, tum qui moribundum circumſtant Patrum, ac Fratrum inclamata.

Primum quod occurrit exemplum à gloria Martyrij non eſt alienum. In Amboino ſub annum milleſimum quingẽteſimum quadrageſimum nonum, quo primus omnium Martyr Antonius Criminalis occubuit, Nunnius Riuerius multis ac permagnis *L. 9. hiſt. n. 120.*

pro

pro Chriſti laboribus perfunctus ad extremum , vt conſtans fuit opinio, à Sarracenis veneno inſidioſe parato, diem vltimum clauſit. Tentarant iam antea viuum illum domi ſuæ cōburere, ſed cū ea fraus ex animi ſententia non ceſſiſſet, aliam illam adorti ſunt, pacto pretio proditori, ſi breui mors inſequeretur. Feſto igitur die Aſſumptæ in cælum Deiparæ Virginis, quo die mane cum ſingulari quodam geſtientis animi ſenſu ſacrificauerat, virus latenter infuſum ſecundū cibum vim ſuam prodidit, quod vbi in viſcera penitus peruaſit ac venas, ardentem febris æſtum & ſummum ſtomachi dolorem concitauit. Exinde in horas contabeſcere cæpit ac confici Nunnius non tamen animo fractus concidit, ſed Virginis ope ipſo etiam ſupremo vitæ die qui ſeptimus fuit ab hauſto veneno, cum per vires ſuis pe-

dibus

Digitized by Google

dibus ingredi non poſſet, geſtari ab aliis per Chriſtianorũ loca voluit, imitatuſque Ioannem Apoſtolum inter piorum manus viſebat Eccleſias, ſaluberrimiſque monitis tum vniuerſos, tum ſingulos confirmabat. Has inter curas atque labores deficiente iam vita, ſpe plenus atq; fiducia cum Crucifixi complexus eſſet effigiem, lętus ex his tenebris in illam lucem exceſſit. Elatus in ædem Chriſti Martyr quam ipſe Dei Matri magno labore conſtruxerat, in cæleſte ab ea filij regnum domiciliumque receptus eſt. Seſquianno quo in iis partibus eſt cõmoratus duo amplius hominum millia ſalutari baptiſmo luſtrauit, naufragium ſemel atque iterum fecit, propoſita ſemper ante oculos morte, tot inter odia & capitales hoſtes Chriſtiani nominis; ſuſtentabat herbarumq; radicibus oriſæ puſillo corpuſculum ſuum. In ege-

nos

nos afflictoſque Chriſtianos tanto commouebatur affectu, vt cum nihil eſſet vnde eis opem ferret, veſtes ſibi ipſe detraheret, fiebatq; vt quandoque quo ſe ipſe tegeret non haberet. Tales erant Andreæ Ouiedi Æthiopiæ Patriarchæ & ſociorum eius inter Abaſſinos agentium mores, tales virtutes cũ vt egentibus elargirentur, ſeipſos ſpoliabant ac nudabant. Ex Ouiedi ſociis quarto loco exceſſit è viuis Emanuel Fernandez prophetiæ dono clarus. Nam, vt omittam cætera, cum Monachus quidam apud Imperatorem valde gratioſus vehementer ſollicitaret vt quotquot Abaſſini ab Alexandrini Patriarchæ factione ad Rom. Pontificis obedientiam tranſiſſent, interfici curaret, idque Patri Catholicus quiſpiam valde conſternatus renũtiaſſet, ille ſedato vultu, ne metuas, inquit, nam neque Imperator hoc mona-

monachi conſilium ſequetur, neq; monachus amplius bimeſtri ſuperſtes erit: quod vtrumque euenit. Alteri amico ex eius obitu nonnihil conturbato; ſine me, inquit, ad meos redire, vt vitam hanc finiam, & in templo in quo ſanctiſſimi patriarchæ oſſa requieſcunt iuxta ipſum ſepeliar. Cum moriturus decumberet rogauit quendam ex iis qui aſſiſtebant quantum diſtaret dies Chriſti Domini natalitius, haud procul abeſt, inquit ille; tum Emanuel hunc diem expecto vt mundo moriens naſcente in terrris Chriſto viuere in cælo incipiam. Franciſco Lopez, qui erat vnus è ſociis, iuſſit ſignum Crucis efformaret verſus certum locum, quem deſignabat, Cacodæmonem oſtentare ſe voluiſſe, ſed à Deipara pulſum, tum quoad potuit elatis intermortuis vocibus, Ah! ſanctiſſima Domina, ſan-

ſanctiſſima Domina mea, video, inquit, Sacratiſſimam Dei Matrem diuina pulchritudine admirabilem. Sinite me abeuntem ſequi: atque his dictis voti compos effectus ſanctiſſimè emigrauit Deiparã ad cæleſte filii regnum cõſequutus. Neque abſimile eſt quod ſubiungam.
In annis 1604. Alphonſus de Sanctiago Profeſſus quattuor vota, cum Societatis ageret annum 30, ætatis 50, ſuę migrationis horam præſciuit ac prędixit, iamque moribũdus affore ſibi pronuntiauit P. Chriſtophorum Cabrerium, quicum Societatem inierat, Tironum curſum, & ſtudiorũ abſoluerat, ſacerdotio ſimul initiatus. Sed Cabrerius iam ante annos quatuordecim magna ſanctitatis opinione diem obierat. Ergo Alphonſus cum ageret animam manibus ac geſtu tripudians, Plaudite, ait circumſtantibus, & lætitia mecum exilite. En video cæleſtis cu-
riæ

riæ Agmen, Dei quoque ſanctiſſimam genitricem video, dumque hæc ingeminat, fixis in cęlum oculis ſanctam efflauit animam Beatiſſimæ Matris brachiis inſerendã. Nam minimè hanc inanem fuiſſe viſionem perſuadent præclariſſima quibus eius mentem Deus ornarat virtutum inſignia, quæ noſtri proſequuntur annales. Anno inſequenti 1605 Toleti diem ſupremum obiit P. Aloyſius Guſmanus Prępoſitus Prouincialis, quem ſane perfectum omnis ſanctitatis exemplar appellare licet. Habuit ſub finem vitæ ad B. Virginem dulciſſimam orationem, quâ impenſum & antiquum ſuum erga illam amorem cumulate teſtatus eſt. Eodem ſpiritu atque ardore pietatis Ioannes Gerardinus Belga Sacerdos Collegii Pultouienſis moriens anno 1606 clementiſſimam parentẽ appellauit: O Maria tribularer ni-

Digitized by Google

miũ, ſi neſcirem tuũ patrociniũ. Alter vero P. Iacobus Molerus diuinæ Matri Roſarium attentiſſimè recitans expirat anno 1607 in Collegio Calliſſiẽſi, cùm eſſet ſodalitij moderator. Verum maxime eſt illuſtre quod in Rhenana prouincia cõtigit. Reinerus Haccius ex Gieſchẽ oppido Wetſtphaliæ in adiutorẽ rei domeſticę Coloniæ admiſſus, dũ Treuiros petit, vix vnius diei itinere confecto in morbum incidit, quo repente ita fractus eſt, vt vltra progredi omnino non poſſet, cumque ad domum ruſticam diuertiſſet, nihil iſthic cibi potuſque idonei reperit. Ergo creſcente & iam in omnes artus peruadente morbo in deſperationẽ prope perducitur. Quid ageret? ad Beatiſſimam Dei Matrem quam pręcipuo ſemper ſtudio coluerat, tãquam ad ſacram anchoram ſub mediam noctem confugit. Nec fruſtra; Adeſt repen-

repente ſpecie & forma auguſtiſſimæ Matronæ maxima luce circū-amicta pia Mater, ac collaudato adoleſcētis deſiderio Societatis ineundæ, Treuiros ad deſtinatam aliquando metam peruenturum prædicit, ibique inter alumnos Societatis ad meliorem vitam emigraturum. Hoc viſo recreatus, partim Angelo, vt dicebat, impellente, partim duobus viæ comitibus, quos eiuſdem propoſiti ſocios habebat adiuuantibus, portum tandem Bethleemiticæ domus incredibili cum gaudio attigit. Vbi cum à ſuperiore, mox aduocato medico, nihil prętermitteretur quo refocillari ęger reficique poſſet; fruſtra, inquit, iſta; Iam enim de vita hic finienda præmonuit me Dei parēs, eademque breui vna cum filio Angeliſque aderit ad immortales me ſedes deportatura. Itaque ſæpius exomologeſi facta, ſacramentiſque

omnibus rite munitus, duodecimo poſt ingreſſum. die, mira ſuauitate concinens *Alleluya*, omniumque circumſtantium animos ad grates Deo reddendas permouens, beatã animam Deo reddidit. Sunt qui à morte pænas expurgatorias non ſine cauſa vehementer expaueſcant: ſed quantũ ad eas imminuendas vel auertẽdas vim habeat cultus Deiparę ſæpe noſtros admonebat qui pręfectum agebat ſpiritus Conimbricę annos ipſos 25, vir sãctiſſimus virginiq; addictiſſimus P. Hieronymus Cauallius de cuius virtute copioſius annales. B. Virginem aiebat non tantum criminibus veniã ſed purgatoriis etiam ignis pænas deprecari, idque ſibi ab eadem dictum ſancte aſtruebat. Patri certe Michaeli à fontibus Valentino, de quo Aragoniæ litteræ 1606, cum in India ille laborum incommodis conſternatus aliquando iaceret,

clemen-

clementiſſima virgo viſendam ſe maximo fulgore prębuit, & poſtquam bono animo eſſe iuſſiſſet, cũ pœnas purgatorij nõ daturum, ſed recta in cælum Beatorumque domicilium conceſſurum promiſit: quo ille promiſſo ac viſo ſic eſt exhilaratus ac confirmatus, vt nullas non ærumnas æquiſſimo ac hilariſſimo toleraret animo. De eodem Patre quidam inter S. Franciſci Patres nudipedes ſanctitate clariſſimus, cum ſuper B. Ignatii ſanctimonia legitime requiſitus ab Antiſtite teſtimonium diceret, aſſeuerauit eius animã à corpore digreſſam obuios habuiſſe Deiparam, Apoſtolorum Principem, S. Ioannẽ, B. denique Ignatium. Geſtabat venerãda Dei Mater ſuis manibus coronam quâ mox beatã illam animã honoris ergo donauit. Moriatur anima mea morte iuſtorum & fiant nouiſſima mea horum ſimilia.

CAPVT XXXII.

Concluſio de optimis Societatis parentibus Ieſu & Maria, deque viſo P. Martini Guttierez.

PRÆCLARA eſt Religionis cum Paradiſo comparatio quã ex S. Antonino copioſe Platus noſter ediſſerit. Nempe vt fuit diuina manu conſitus paradiſus, hortus amœniſſimus, quẽ in originaria iuſtitia primi mortales incolerent, ita Dei donum & inuentum eſt Religioſæ vitę inſtitutio, per quam in primęuum fælicis innocentiæ ſtatum reuocari videmur. Ea enim vis eſt & conditio votorum, quibus ipſa Religionis natura continetur, vt paupertate quidem in res omnes externas, quia contemnũtur & deſeruntur, dominatus quidam acquiratur; Caſtitate corpus animo, parſq; inferior ſuperiori ſubſternatur

tur ac parere cogatur; Obedientia denique Deo ſeſe animus, abnegato iudicio propriaque voluntate depreſſa, ſubiiciat atque connectat. Qui rectus ordo eſt originariæ iuſtitiæ atque innocentiæ, ad quam religioſæ vitæ ſtudiis exerciti continenter adſpiramus. Etenim illius ſtatus fęlicitas non tam ex horti terreſtris amœnitate, quã ex hac ordinis à Deo conſtituti tranquillitate, cum & animus corpori & animo Deus imperaret, ipſeque homo ceteris rebus exiſteret ſuperior, oriebatur; vt neque tam illa ſedes Paradiſi deſiderio reuocãda, quam huius pax ſubiectionis omni ope ac contentione repetenda ſit, quod exacta votorum religioſorũ obſeruantia perfici vtcumque poſſe videtur.

Vt autem ab illa Paradiſi fœlicitate primorum vitio parentum excidimus; vt illi nos inobedientiæ

ſuæ crimine in ruinam perniciemque traxerunt, ita in perfectæ vitæ paradiſum, ordiniſque eius optimi reſtitutionem, per alios auſpicatiores vitæ ac ſalutis parentes reuocãdi ſumus. Vt nulli cupiditati ſeruiamus reſque omnes ſeculi, vti par eſt, animo libero proculcemus, vt compreſſis corporis ac ſenſualitatis motibus, perturbationibuſq;, animo perfectè corpus obſequatur, animus ſeſe Deo ſubiiciat ac ſubnectat, haud opis eſt noſtrę operæve humanæ atque induſtriæ, ſed merito beneficioque Chriſti Domini ſanctiſſimæque eius Matris patrocinio ac præſidio conſequemur. Hi ſunt alteri progenitores noſtri ſpiritalis immortaliſq; vitæ, à quibus in filiorum Dei gratiam adoptionis hæreditatemque cæleſtem certa ſpe capeſſendam editi ſumus, ſalutiferoque cibo verbi Dei atque Euchariſtiæ ſacramen-

to

to, quæ velut arbor vitæ in medio Paradiſi eſt conſita, ſalutariter enutrimur. Societatis Ieſu parentem eſſe & haberi Ieſum quod illa præſefert nomen auguſtũ haud obſcure demonſtrat; nam à parente filij nuncupantur, indeque ducitur appellationis ratio, vnde originis. Ab Ieſu dicimur Ieſuitæ, tanquam ab Ieſu geniti, & vnde genus, inde nomen ſortimur, non modo de eius ſchola ac cohorte diſcipuli ac milites, ſed de genere ac ſtirpe ſpiritales Ieſu filii, qui ſerui digni non ſumus: iuxta illud: *Qui non ex ſanguinibus neque ex volũtate carnis, neque ex volũtate viri, ſed ex Deo nati sũt.* Ioan. 1. Quæ quidem nouę diuinę Natiuitatis laus atque præſtantia communis nobis eſt cum ceteris tũ religioſis, tum in ſęculo degentibus Chriſti ſectatoribus; ſed non inde minuitur beneficij magnitudo: vt de ſolis vſura ita de gratiæ huius partici-

pατione nihil detrahitur, quod eadē integra nobiſcum ceteri perfruantur. Ita eſt omnium Chriſtus dominus parens, vt non deſinat proprius eſſe ſingulorum. Habet ille poteſtatem omnis carnis, & omnia ei Pater dedit in manus. Ille mortalibus omnibus impertit gratiæ vitam, Iuſtorum caput & Princeps, Pater futuri ſæculi. Homines tamen Societatis Ieſu ſuos eſſe non abnuit, quibus à Patre ſigillatim commendatis, ſuęque traditis tutelæ, propitium ſe fore Romæ ſpopondit, reque ipſa orbe toto cumulate pręſtitit: tanto nobis Adamo parente melior & fortunatior vitę ſalutiſque parens. At quænam Euæ, nouercæ magis quam morientium matri, ſubrogata ſit optima mater viuentium, cui ſecundum Chriſtum omnis noſtra ſalus accepta eſt referenda, nemo eſt qui non cogitatione præcipiat,

atque

Digitized by Google

atque præuertat. Neque enim alia eſſe poteſt quã ſacratiſſima Saluatoris Mater Maria, cui nos ille de Cruce commendauit, quam ſuammet, noſtrum quoque omniũ communẽ Matrem eſſe voluit, vt quibus adoptionis eius gratia, ac redemptionis munere, vnus eſt Deus Pater, vna ſit & virgo Mater indulgentiſſima. De cuius in Societatem materna cura ac prouidentia etſi iam ante mnlta ſunt à me commemorata, tamen præclarum quoddam quod ſacerdoti noſtro, viro ſanctitatis eximiæ, diuinitus obtigit viſum, abunde fidem facit. Is fuit Martinus Guttierez Hiſpanus, qui cum P. Ægidio Gonzalez Caſtellę Prouinciale & Ioãne Suares ad generalem conuentum, Borgia vita functo, ad noui præpoſiti ſortitionem miſſus, dum per Galliam iter facit, in prædonum hæreticorum manus incidit, cumque

Ludo. de Ponte in vita P. Balta. c. 27.

captiuus abduceretur ad Cardelincum caſtrum, ad proximum ſacellum exſcendens equo, clementiſſimam Matrem ardẽtiſſime deprecatus, ab ea cognouit proximè ſe intra dies octo moriturum; vti ex carceris ſqualore ceteriſque ęrumnis & incommodis, peracta totius vitę generali confeſſione ſabbathi die Deiparæ ſacro fæliciter euenit. Neque illum Clementiſſima Mater à morte deſtituit: nã cũ ſub ſecundam matutinam ſanctiſſimè expiraſſet, neque ſe Patres loco commouiſſent, adfuit ſub octauam honeſtiſſima Matrona auguſtâ & venerandâ ſpecie, cęterum ornatu atque habitu Gallico, quæ à Patre Suarez, qui callebat idioma, percunctata; Num quis eorũ exceſſiſſet è viuis, & ſepulturę mãdandus foret: tum Suarez Sacerdotem recens vita functum eſſe Martinum Guittierez. Protulit ergo

illa

illa quam ſecum detulerat ſyndonem candidam qua ſuis ipſa manibus demortui corpus inuoluit ac decentiſſime compoſuit, tum inſuper ſuam benedictionem impertijt. Suarez admirans abire paranti pecuniam Syndonis operæque pretium offert cum actione gratiarum: At illa nihil ait eſſe neceſſe, neque ſe pecuniæ auferendæ cauſa veniſſe; illiſque peramice ſalutatis abſceſſit. Creditum eſt à Patribus ipſãmet Beatiſſimam Virginē Mariam, aut ab ea certe ſubmiſſam eiuſque impulſu Matronam pietatis iſtud ac miſericordiæ munus obiuiſſe. A Virginis miſericordia ac bonitate vt ipſamet ſuis manibus ſuum famulum pia mater inhumarit, nō videtur alienum, vtque hoc modo præteritis amantiſſimi cliētis in eam officiis hoc ei ſupremū ſepulturę munus Patrona reddiderit. Hic igitur eximiæ virtutis ac

ſan-

ſanctitatis Pater Guttierez, cum alia multa præſertim de B. Virgine reuelata diuinitus accepit, tum illud quod rem præſentem attingit. Vidit aliquando Deiparam eximia ſpecie micãtem, veſte in magnam latitudinem expãſa, ac ſub ea veſte ſocietatem noſtram vniuerſam cõtineri collectam, quam illa materno complecteretur affectu, eoque quaſi ſuæ gratiæ ac charitatis tegumento confoueret. Quo B. Mater oſtento clementem ſe & amantem de omnium noſtrũ ſalute ſollicitam materna cura ac beneuolentia demonſtrauit: qualem Saluator ſe Hieroſolymitis exhibere voluerat cum dicebat,

Matt. 23 *Quoties volui congregare filios tuos, quẽadmodũ gallina cõgregat pullos ſuos ſub alas, &c.* Quæ cum ita ſint cum Dei munere longe optimi Societati noſtræ vniuerſę, &, qui de ea cenſemur, ſingulis vitæ parentes obuenerint Chriſtus

Domi-

Dominus Ieſus,& beneuolentiſſima eius noſtraque Mater Maria, quid potius agamus, quam vt ad eos in omni re dubia cõfugiamus? Ab eis in omni vitæ decurſu ſubſidia gratiæ,in obſcuritate mẽtis lumina & cõſilia,in męrore ſolatia & gaudia, in diſcrimine munimenta pręſidiaq; flagitemus? Cõciliet nos filio benigna Mater, amantiſſimæ Matri nos condonet filius; illa nos in filij gratia beneuolentiaque ponat, hic nos ſuæ Matris curæ tutelæque committat; Augeat in animis noſtris Saluator filius aduerſus ſanctiſſimam parentem ſuam pietatis affectum, viciſſimque Mater ardentiori charitatis in Deum filium igne ſuccendat. Sit Saluator nobis Ieſus Pater, ſit Deipara Virgo Maria Mater; nec ab ea ſtirpe cœleſti degeneremus vnquam, nihil ea familia ac Societate in quam eorum fauore

ſumus adſcripti committamus indignum. Id vos ô Parentes amantiſſimi quando eam appellationem non refugitis, quando nos filiorum habere loco non dedignamini veſtris ſupplices aduoluti veſtigiis oramus atq; obſecramus, hoc quod omnium ducimus maximũ in nobis beneficium veſtrum tueri ſemper velitis, ne vnquam ab ea filiorum adoptionis excidamus gratia; veſtraque cura ac prouidentia paterna ac materna deſtituamur. Id per eam quæ vobis inter vos eſt arctiſſimam propinquitatem ſanguiniſque communionem, per ſummam naturæ gratiæque coniunctionem, quotidianam vitæ ſimul actæ effectorumque omnium neceſſitudinem obteſtamur. Ne ſupplices tuę Matris preces vultumq; Saluator auerſare. Et tu, ô Benigna Mater, attende filij tui merita, plagas, ſanguinem, vitam, quibus

redi-

redimendis impenderit. Vide quos in ſuæ ſocietatis album licet immerentes retulerit, quos tibi de Cruce commendarit: eos in tuam curam tutelamque recipe, & tuis quoque meritis precibuſque ille nobis concilietur ac propitietur. Exoret te, Saluator tua Mater, quæ te nouem menſes vtero tulit, in lucem edidit, enutriuit, fouit, omnibuſque officiis piæ ſedulitatis obſtrinxit. Veniat vobis in mentem quam obliuiſci non poteſtis, in vobis & à vobis noſtrę ſalutis ac redemptionis œconomia peracta. Quę de Spiritu Sancto conceptus vteroque nouem vti dixi menſes geſtatus in Bethleemitico ſtabulo natus, circumciſus, in templo oblatus, in Ægyptum deportatus, in Nazareth enutritus, Dei filius Matri munera gaudiaque, filio Mater officia obſequiaque detulerit. Veniat & reliquæ omnis vitę tum priuatim

uatim actæ conſuetudo domeſticos intra parietes, tum publice, tũ Saluatorem tota Palæſtina deferẽtem Euangelium pia Mater aſſectaretur, miraculorum eius admiratrix, ſermonumque auſcultatrix attentiſſima. Denique & extremæ diei paſſionis ac mortis, cum poſt atrociſſimos cruciatus, noctu diuque repetitas illuſiones, alapas, pugnos, probra, conuitia, blaſphemias, ſputa, flagella, ſpineum diadema, diriſſimæ tandem affixus Cruci Redemptor, aſtante matre, gladioque mœroris transfixa, noſtrę ſalutis opus expleuit. Per hęc merita filij propitiare benigna Mater, per Matris amorem hunc doloremque ſummum, quem illi tuę paſſionis extrema dies attulit, prodiditque clientibus eius, eſto Saluator propitius. O vtinam in cæleſti regno veſtris vtriuſque pedibus aduoluti, ſempiternas de participato re-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

to redemptionis fructu, de religioſæ vocationis beneficio, deque ipſo fælicitatis æternæ prȩmio gratias referamus, inibique in victricem Ieſu Societatem adſcripti, auguſtiſſima veſtra Ieſu & Mariæ nomina, beneficiaque in omnem celebremus æternitatem. *Amen.*

FINIS.

ERRATA.

Pag. Lin. Corr.
69. 3. *Compararent*
90 11. *Antiſtrophen.*
93. *penul. millibus.*
104. 1. *& dum.*
106. 15. *religionem.*
115. 16. *cum.*
216. 3. *A quo illi ſanctuario.*
263. 3. *appulſis.*
265. 9. *Sacchinus, à vidua.*
284. 8. *ſtatim.*
296. 5. *ipſa qua.*
307. 9. *Cuidam.*
318. 17. *munus.*
321. 4. *meſſis.*
332. 22. *quantam.*
342, 6. *euentus.*
Ibid. 13. *Virgini.*
349. *ult. Iambos.*
350. 8 *lampade.*
358. 4 *prodidit iterum.*
361. 11. *vicina.*
381. 18. *qui.*
392. *ult. optione.*
394. 21. *imitandarum.*
421. 19. *agris.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google